JUSTIFICATIO
DUORUM
SACRÆ THEOLOGIÆ
PROFESSORUM
UNIVERSITATIS DUACENÆ

Contra atroces calumnias libelli famoſi, cui titulus *Lettre à un Docteur de Douay &c.*

Per Eruditiſſimum Dom. Philippum RIVETTE, S. Theologiæ Licentiatum ac Profeſſorem Regium, Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Amati Sedi Aooſtolicæ immediatè ſubjectæ Canonicum, & Collegii Regii Regentem.






Anno M. D. C. XCI.



PRÆFATIO

PRÆCLARE Augustinus in Ps. 118. conc. 27. *Crimen falsum, quod est calumnia reum non facit hominem nisi apud judicem hominem. Ubi autem Deus judex est, nullus falso crimine læditur, quia non cui objicitur, sed objicienti potiùs imputatur,* Reposita est hæc consolatio mea in sinu meo, dùm famam nostram tam dirâ flagellat calumniâ author Libelli, cui titulus: *Lettre à un Docteur de Doüay &c.* Neque propterea silendum nobis. Nisi plene diluimus istud, cujus insimulamur, crimen falsum, aliud silendo incurrimus crimen verum. Quarè tametsi ex *D. Arnaldi Querimonia* ad Illustrissimum Episcopum Atrebatensem, ex *Epistola ad quemdam Baccalaureum* referente explicationes nostras dolosè suppressas, denique ex *conclusionibus Theologicis*, quibus doctrinam nostram de Gratiâ & libero Arbitrio complectimur, innocentia & adversarii fraus iniquissima orbi cæperit innotescere, meritò tamen justificatio aliqua uberior à nobis efflagitatur, qua rem omnem, ut à nobis acta est, oculis subjiciamus, atque præcipuas adversus nos accusationes refellamus. Id quinque sequentibus capitibus exsequimur.



CAPUT PRIMUM.

An Professores aliqui Duacenses conspirarint adversus Ecclesiam.

§. I.

Conspirasse denuntiat Author Libelli, cui titulus: *Lettre à un Docteur de Doüay* Pag. 1.

QUem non perculerunt hæc verba, aut potius verborum fulmina, quibus Author ille horribilem orbi tempestatem denuntiat ingruere, esse Duaci Professores, qui spiritu erroris ac nefariæ conspirationis impulsi veram Christi Ecclesiam diruere, novam ac spuriam ædificare moliantur? *Fort heureusement* (inquit) *pour le bien de l'Eglise, & pour l'honneur de vôtre*

Université en est venu ces jours passez en connoissance des malheureux desseins, que quelques Professeurs & Docteurs de Doüay ont conçûs depuis quelque temps contre la Religion. L'esprit de cabale & d'erreur qui les possede, leur à fait former le plan d'une novelle Eglise sur les ruines de celle que JESUS-CHRIST à choisie pour son Epouse. Tout est prest pour l'execution de cét horrible projet; le formulaire de la nouvelle croyance est dressé, la profession de Foy est signée par les Apôtres du nouvel Evangile; on y trouve des Catechumenes & des Neophytes; il y a des articles communs pour les Proselytes, il y a des mysteres, & des articles de reserve pour ceux, qui sont entierement initiés du parti; en un mot on y voit tout l'appareil d'une Eglise naissante que le Prophete appelleroit Ecclesiam malignantium. Ps. 25. v. 5.

Ferte citi flammas, quibus vindicetur adeò execrandum facinus. Imò immitte, DEUS, in adversarii pectus tui flammas amoris, ut indè calentibus lachrymis & fraudes innumeras, & tam horrendam eluat calumniam.

Arguis nos, Denuntiator, conspiration's adversùs CHRISTI Ecclesiam. Exigere, credo, non potes, ut tibi fides habeatur dicenti, non probanti. Quæ est ista fidei professio, quam loqueris? qui Catechumeni & Neophyti? quæ mysteria reservata penitùs addictis *Ecclesiæ* ut vocas *malignantium?*

§ II.

Impostura I.

DUm Professores ac Doctores Duacenses conspirasse dicis adversùs Ecclesiam, complecteris Ex. D. *Gilbert*: nisi complecteris, *Doctores* non diceres, nàm ex aliis quos Thesim approbasse memoras unus duntaxat Doctor est. Dic, amabo, ad quid conspiravimus nos cum dicto Eximio *Gilbert?* Aliud, quod dicas, non habes, nisi ad approbandam Thesim in 7. articulos distributam. Undè probas conspirasse? an fortè ex eâdem approbationis schedâ? At diversum ipse satis indicas. An saltem è tenore Approbationis datæ? Diversus & ille est, ut ipse refers. An denique ex litteris ultrò citròque scriptis à Professoribus de Approbatione dandâ ad Ex. D. Gilbertum, ab Ex. D. Gilberto ad dictos Professores? At nullas profers, neque proferre potes. Hæc impostura prima.

§. III.

Impostura II. Pag. I.

EN altera. Professoribus Duacensibus, ut novis Apostolis, tribuis Proselytos, Catechumenos, Neophytos. Qui sunt illi? eos nomina, aut patere,

patere, ut rursùs te hic calumniatum dicamus. Non sufficit proferre D. de Ligny, qui nobiscum 7. articulis subscripsit: nam is & unus est, & à Catechumenis distinctus, utpote cui commissa sint arcana, ut loqueris, illius Ecclesiæ mysteria. Igitur ut aliquem habeas numerum, adjungere te oportebit quatuor aut quinque alios, quorum Approbationem 7. articulis datam refers, quos possis vocare Catechumenos, Neophytos, Proselytos. Verum quam affers probationem aliquid hâc in re eos egisse nostro impulsu? Totum, Lector, volve libellum, & nullam reperies. Sic orbi illuditur.

Quæres, cujus igitur inductu subscripserint isti alii? R. non inductu Ex. D. Gilberti uti nec nostro: sed totum hoc Pseudo-Arnaldi dolis peractum est. Indicatum iis, subscripsisse duos Professores Duacenos, additæ explicationes nostræ in charta à thesi sejuncta; quibus visis crediderunt posse thesim sano sensu accipi, adeòque & ipsi subscribi posse.

Ut verò pateat, quam hinc omnis abfuerit conspiratio, lubet strictim commemorare quæ gesta sunt.

Posteaquam ea persuasio, qua credebat D. de Ligny Philosophiæ Professor sibi cum D. Arnaldo esse per litteras colloquium, altas in ejus animo radices fixerat, ut refert latius D. Arnaldus in sua Querimonia ad Illustrissimum Episcopum Atrebatensem, Impostor Arnaldum mentiens addit litteras, quibus rogat ut Thesim quamdam approbemus Mechliniæ, ut fingit, propugnatam; scribit Thesi illi, & illius Præsidi periculum imminere à Censura Archiepiscopali, triumphaturos Augustinianæ doctrinæ & gratiæ per se Efficacis adversarios, nisi Augustinianam Thesim fulciant Theologi approbationibus, quæ Archiepiscopum à proposito revocent; jam tum haberi aliunde plurimas, quibus nostram addi percuperet. Thesim probavimus explicatam eo modo quo post dicturi sumus, hanc rem prorsus nesciente Ex. D. Gilberto. Fertur ipse postea uti & quidam alii Thesim eandem probasse, sed nobis quidem ita planè insciis, ut approbasse ipsum & alios in libello nominatos, partim demum ex ipso libello famoso didicerimus, partim non multo ante quam in lucem ederetur, cum scilicet Impostor fugam ac latebras suasissent, quas innocentiæ suæ conscientia fretis persuadere non potuit, hoc est sex circiter mensibus postquam Approbationes datæ sunt. Quodque hic dicimus de Ex. D. Gilberto jurati declaravimus Illustriss. Episcopo Atrebatensi.

Nota insignem astum Authoris Libelli: Approbationem D. Gilberti præmittit quamvis tempore posteriorem, ut tempore & exemplo nobis præiisse videretur. Quin imò nec veretur fingere nobis notam fuisse D. Gilberti & aliorum Approbationem, dum nos dicit speciali quâdam Approbationis formâ supra alios eminêre voluisse. Quomodo scivimus quod solum futurum erat & futurum nemo dixerat? Nisi forte dicat nos hic Prophetas extitisse, qui futura tanquam præterita viderimus.

De alio astu jamjam certior fio. Videri possint in unâ & eâdem schedâ

B sub

subscripsisse alii: at non ita accidit. Sic enim subscriptum volebat Impostor, ut alius alium lateret. Hunc in modum scribit ille ad quemdam ex aliis Approbatoribus: *faites je vous prie, mes complimens à .... Je le pense assez bien intentionnez pour appuier aussi la verité de son Approbation... Vous me ferez plaisir de luy faire écrire encor une copie de cette These & de la luy faire soubscrire* separement, *parce que par fois il est necessaire de produire l'une sans l'autre .... Voiez si vous n'en pourrez pas user de même à l'égard de quelqu'uns de vos amis, que vous connoissez attachez fortement à la verité, & qui sont du dernier secret. Mais pour lors il est convenable* QU'ILS NE SÇACHENT PAS A PARLER L'UN DE L'AUTRE.

§ IV.

Impostura III. Pag. I.

AD aliam quam ibidem in nos evomit calumniam veniamus. Mysteria narrat, quæ dicit iis reservata, qui novæ sectæ sunt prorsùs addicti. Si hæc conferas cum iis quæ præmittit formulæ, ut vocat, 12. articulorum, nihil evidentiùs, quam per mysteria eos 12. articulos designari, quibus refert subscripsisse D. de Ligny. Nihil item evidentiùs, quam hos attribui Professoribus Duacensibus, dùm dicit ea mysteria reservari utique à nobis, quos novos Apostolos nuncupat. Fatetur interim solum Philosophiæ Professorem de Ligny huic subscripsisse. Undè ergo, Impostor, eam nobis formulam attribuis? nimirùm suspicatus es nos eadem omnia sentire. Hoccinè, quæ non cogitat malum, suggerit charitas? Hoccine æquitas patitur? Quæ tandem innocentia calumniæ morsibus eximetur, si quod suspicari libuerit, de hoc intrepidè liceat proximum accusare? tantùm autem abhorret à vero, quod de ea formula nobis affingis, ut ne ipsa quidem nobis, neque aliis, ut audio, visa aut nota fuerit donec in libello vidimus.

Verum, inquies, aliquo saltem fundamento nixa est illa suspicio. Imò vero adeo nullo ut nemo hactenus vel mediocri judicio præditus non viderit hujus accusationis inanitatem. Nè tamen probationes deesse videantur, fragmenta citas quarumdam litterarum, ubi dicimus optare nos ut liceat loqui quomodo Augustinus locutus est. Hincnè concludis tribui posse istam 12. articulorum formulam? non vident, credo, Philosophi nostri hanc consequentiam: sed novam debuisti, Impostor, comminisci Dialecticam, ut novam demonstrares Ecclesiam. Neque hic modo stupendum ac novum te præbes Dialecticum, sed cum pluribus aliis locis, tùm Pag. 89. ubi ut hoc probes de nobis quod paulò ante pag. 88. dixeras: *Tout le parti est animé de cét esprit de revolte & d'emportement*, refers scribentem Dominum de Ligny: *Monsieur de Laleu & Monsieur Rivette... sont aussi fort étonné de cette nouvelle Bulle*; Bullam intelligit Alex. VIII. qua 31. articulos proscripsit. Plurimum fallor, si illam consequentiam, vel tueri ausis, vel credas ipse legitimam.

gitimam. Liceat explorare, an credas. Fare, quid censes de plurimis qui mirati sunt Bullam Innocentii XI. qua proscripsit propositiones 65.? an omnes illi rebelles?

Quid ergo sincerum ac non fucatum expectet lector a te, visis his Sophismatis tam apertis, & quando prima ipsa pagina tam insignibus scatet calumniis?

Ne tamen posteaquam tanto cum strepitu bellicum cecinisti, turpiter canere receptui debeas & arena excedere, hoc saltem contendens negare non posse nos, quin fidei novam Professionem unà amplexi fuerimus. Negamus certè; siquidem quam probavimus doctrinam, ut Augustinianam probavimus & orthodoxam, non ut fide credendam: perperam ergo fidei professionem appellasti.

Nefariè autem conspirasse nos & aliquid adversus Ecclesiam esse molitos, nescio quam veri speciem id haberi possit.

Nobis nihil tale præscientibus per dictum D. de Ligny offertur Thesis rogatu D. Arnaldi approbanda: approbamus explicatam eô sensu, quo explicari posse credimus: De aliis in approbationis societatem attrahendis nihil cogitamus. Hoccine est nefariè conspirare adversus Ecclesiam?

Ex his concludo unum superesse cujus nos reos peragere coneris, nimirùm quod Thesim erroneam & damnata continentem dogmata probaverimus. Hoc igitur quod unicum jam objici potest refellendum superest.

CAPUT SECUNDUM.

Ostenditur ex iis quæ approbationem Theseos antecesserunt minimè dubitandum, quin approbata fuerit Thesis in sensu orthodoxo à Professoribus Duacensibus.

§. I.

Subscripserunt Professores Duacenses ex corde sincero formulæ ab Illustriss. Episcopo Atrebatensi conceptæ adversùs quinque famosas Propositiones.

SI aliquot abhinc annis sincerè & ex corde subscripsimus formulæ ab Illustriss. Episcopo Atrebatensi conceptæ, qua oppositis conclusionibus Thomisticis rejiciuntur ac damnantur quinque famosæ propositiones ab Innoc. X. & Alex. VII. proscriptæ, si in ejusdem formulæ sententia permansimus, non est credibile nos occasione simplicis Theseos, cui nullæ adjunctæ rationes erant à nostrâ sententiâ ad hæresim esse abductos. At sincerè & ex corde ei formulæ subscripsimus, & in ea permansimus. Igitur istud credibile non est.

Solam minorem mihi probandam existimo: si tamen mihi probanda est,

& non potius exigendum ab eo qui nostram sinceritatem impugnare voluerit, ut oppositum probet.

Probare interim non gravabor. Ecclesia non indulget suspicionibus, recipit etiam fidei confessiones ab iis, quos ad illas minis adigit, neque propterea credit parum sinceras. Quantò igitur id pleniùs credere debet, dum nihil ad Fidei Professionem urget, & tamen ad illam faciendam ultro acceditur? Negotium agebatur unius Ex. D. Gilberti: neuter nostrum à quoquam impellebatur, ut fidem suam circa materiam de Gratia & Libero Arbitrio exponeret. Si aliquid damnati dogmatis in corde aluissemus, an adiissemus sponte Illust. Episcopum Atrebatensem? Præcessit Ex. Dominus de Laleu, cujus relatu didici formulâ ab eo conceptâ Thomisticè exponi propositiones quinque oppositas famosis quinque damnatis: adiique & ego Illustrissimum post aliquantum temporis nemine prorsùs impellente. Rogavi ut liceret videre formulam, cui Ex. Dominus de Laleu subscripserat, quâ lectâ; non aliam, inquam, doctrinam hausi in Academiâ Lovaniensi: lubens ei formulæ subscripsero, nè quis fortasse quod à D. Gilberto Canonicatu donatus sim, me in aliquam suspicionem vocet, tametsi ea levi fundamento niteretur. Hæc ita acta esse novit Illustriss. Episcopus Atrebatensis. Hic quæro rursùs, an ita ultro adiissemus, si formulæ opposita hæresis mentibus insedisset? Putas Episcopos Arianos, qui in Concilio Nicæno formulæ fidei contra mentem subscripserunt, ne sedibus suis pellerentur, si Nicæa abfuissent, si non eos Concilium, non metus amittendarum sedium impulisset, sponte Nicæam convolaturos fuisse, ut formulæ subscriberent, quam in animo damnabant? Subscripsimus igitur sincerè formulæ Illustrissimi Atrebatensis, quià ultrò, quia à nemine adacti. Eam in subscribendo sinceritatem confirmat quod ferente occasione omnia formulæ consentanea in scholis dictavimus. Vide quæ in conclusionibus nostris referuntur ad concl. 7. quæ ex D. de Laleu, & ad concl. 5. de me. Sed quid his opus? cum ipse author libelli fragmentum citet cujusdam epistolæ D. de Ligny ubi dicimur passim in scholis loqui de Gratiâ & lib. Arb. juxta phrasim Thomisticam, en verba pag. 68. *M. de Laleu & Mr. Rivette en enseignant & en explicant dans les écoles publiques ils se servent ordinairement des façons de parler des Thomistes touchant la Grace.*

Quæ cum ità sint, cui dubium esse possit, si thesis sanum aliquem sensum pateretur, prout patiebatur, quin in eo potiùs Thesim acceperimus quàm in alio.

§. II.

Confutatur objectio prima adversûs sinceritatem duorum Professorum Duacensium.

UTi altè profitetur non esse delusum à nobis Illustriss. Episcopum Atrebatensem, prout nec ipse se delusum credidit; ita libenter diluimus quidquid adversûs sinceritatem nostram objectum est.

1. Ob-

1. Objicit denuntiator me illibenter uti termino *gratia sufficiens*, ac sollicitè addere particulam alienantem *sensu Thomistico*, adeoque non nisi fictè profiteri me Thomistis consentire in materiâ de Gratia hujus status. R. Eodem me jure hanc consequentiam negare, quo negaret Ex. D. Steyaert, si quis idem de ipso inferret eo quod, ut ipsemet testatur, se eidem nomini *gratia sufficiens* ostenderit iniquiorem ob notionem Molinianam quam ultrò ingerit & addit: assert. contin. concl. 2. *nunquam ego nomine gratiæ sufficientis simpliciter utor nequidem apud peritos*. Certè parùm honorificè de doctrinâ Thomisticâ sentit, qui eam alligat usui isti vocis *gratia sufficiens*, quem Recentiores quidam Thomistæ contra antiquam & hodieque vulgarem ejus significationem invexerunt. An non Thomistica censura nostra? An non Thomistæ periti illi inter Thomistas ut scribit Lemos loco in conclusionibus nostris citato, qui existimant parum congruenter auxilium illud vocari sufficiens, quod jam sufficiens vocatur *sensu Thomistico*? Rectè Contensonius tom. 5. c. 8. diss. 2. cap. 2. qui posteaquam refellit Montalrium expostulantem cum recentioribus Thomistis de abusu vocis *gratia sufficiens* veluti agnoscens se quoque refellentem refelli posse, addit *quod si iterùm contendas nos malè loqui vel abuti terminis, respondebo cum Augustino lib. 1. contra Cresconium cap. 13. cum res ipsa intelligitur, minus laborandum est, quid eam hominibus vocare placuerit*.

Instabis ex hoc ipso Augúst. loco: quid ergo causæ, cur illibenter quis utatur voce gratia sufficiens, ac sollicitè addat particulam *sensu Thomistico*? R. 1. Cum populus omnis aliter accipiat eam vocem, periculum esse potest, ne dùm illa à scholis ad concionatorum cathedras transfertur, populus etiam ut fidei doctrinam gratiam suscipiat Molinianam, cui haud ægrè persuadebitur illam esse verè sufficientem, non item illam quam Thomistæ sufficientem vocant.

2. Ex eo quod gratia ad agendum excitans sufficiens vocetur, accipi inde occasio potest ut quis Deo quidem tribuat quod sit excitatus, sibi autem quod excitanti gratiæ fuerit obsecutus.

3. Denique accidere potest ut quem maximè orare oporteret ad obtinendum à Deo charitatis augmentum, tamen is orandum sibi non putet, eo quod ad benè agendum excitatus hoc ipso gratia sufficienti dicatur instructus.

Ne autem inanis hæc formido videatur, quia Catholici in genere agnoscunt omne bonum esse à Deo, de Catholicis ac Sanctis loquitur Aug. libro 2. de pecc. merit. cap. 19. *Idcircò* (Deus) inquit, *Sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardiùs sanat, ut in his eos minùs, quam implendæ ex omni parte justitiæ sufficit delectet bonum ... commendans gratiam suam, ne facilitatem in omnibus assecuti nostrum putemus esse quod ejus est*. Audis timeri posse, ne nostrum putemus esse quod ejus est? *qui error*, inquit, *multum est religioni pietatique contrarius*.

Undè congruentiùs videtur accepisse vocem *sufficiens* Augustinus tum

hoc

hoc ipso loco, tum aliis, ut lib. de Grat. & lib. Arb. cap. 15. ubi de eo qui imperfectè & non planè vult mandata Dei servare, oret, inquit *ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.*

Hæc non eo dicta sint quo præfractè velimus non uti voce *gratia sufficiens sensu Thomistico*, cum ipsâ utamur; neque quo putemus non posse hæc incommoda quæ proferimus vitari multis saltem adhibitis cautionibus, quas etiam adhibendas monet Ex. D. Steyaert in notis ad nuperum Alex. VIII. decretum pag. 12. verum ut pateat nihil esse in isto litterarum fragmento quod tantoperè exagitari mereatur. Non alia mens præcipuis Academiæ Lovaniensis Doctoribus, qui dùm loquuntur de Gratiâ sufficienti sensu Thomistico, addunt: *quam malumus vocare excitantem.*

§. III.

Confutatur objectio 2.

OBjicit 2. me significare in Epistolâ quâdam alienum me esse à Prædeterminatione physicâ: igitur formulæ Thomisticæ de Gratiâ non ex animo subscripsisse. Itanè denuntiator, rursùs lubet imponere? conformiter principiis Augustini distinguentis auxilia utriusque status naturæ integræ & lapsæ prædeterminationem physicam non admitto ad actus bonos in statu naturæ integræ uti neque ad ullum materiale peccati; verum eam admitto ad actus bonos in statu naturæ lapsæ. Non aliud habet epistola mea, cujus fragmentum citas. Redde integram; tuamque illa imposturam, ac meam probabit sinceritatem, meque consentire Thomistis in eo quod præcipuum est, cum in statu naturæ lapsæ simus, non in statu naturæ integræ, cùm de Gratiâ hominis lapsi præcipuum sit adversùs Molinistas certamen, cum deniquè in formulâ quinque famosis propositionibus opposita omnia ad statum lapsæ pertineant.

Non est, crede mihi, status naturæ integræ, non est materiale peccati, non sunt actus naturales id quod præcipue sollicitos habet Thomistas. Audi Contensonium tom. 5. lib. 8. dissert. 1. cap. 2. illud etiam diligenter observari amo, quod licet sententia de prædeterminatione ad actus naturales atque etiam ad materiale peccati tamquam probabilior à Thomistis eligatur, non ita tamen ab illis traditur, ut ex præmotione ad actus naturales vel ad materiale peccati pendeat veritas illa cardinalis de Gratia per se efficaci ad actus supernaturales & meritorios salutis necessaria. Generalem quippè prædeterminationem admittunt dumtaxat Thomistæ ut probabilem secundum rationem naturalem & non ut necessario cum fide Catholica connexam. Gratiam vero per se efficacem tenent ut conclusionem Theologicam ab Augustino & Aquinate clarissimè traditam & post articulos fidei omni exceptione majorem in praxima & veluti ultima dispositione definibilem. Unde etiamsi nulla ad actus merè naturales vel morales physica prædeterminatio admitte-

admitteretur, eam tamen in ordine supernaturali ad rectè Christianèque vivendum admittendam contendimus, generalemque præmotionem ideo solum astruimus ut per eam ad gratiam per se efficacem uberius fortiusque stabiliendam viam muniamus, ad eamque propugnandam serviat etiam Philosophia. Quarè Gratiæ per se efficacis assertionem unicè quærimus, unicè intendimus. Undè, ut optimè Alvarez l. 3. de Auxiliis disp. 24. num. 27. observavit, Thomistarum nonnulli Deum præmovere ad actum peccati etiam ut actus est, inficiati sunt, quamvis ad unum omnes Gratiæ victricis & per se efficacis omnipotentissimam potestatem à prævisione scientiæ mediæ independentem constantissimè affeverant, & de illa processit olim coram Clemente VIII. & durat adhuc Patres Societatis inter & Dominicanos disputatio.

Addidi in litteris me non repugnare quin ea prædeterminatio ad omnem omninò actum in Collegio cui præfectus sum tradatur, quin ferveat pro more adversus Molinæ asseclas de ista Prædeterminatione bellum. Contra insurgis & propemodum crimini vertis, quod eam sententiam quam falsam credo tradi permittam. At probabilis est & veram putant Philosophiæ Professores, quorum ingeniis ac sententiis dominari non debet Collegii Rector.

Facetus tibi videris, dum ais: sic quæ tolli nequeunt, tolerantur Romæ lupanaria. Hæccine seriò? Non crediderim. Itane delicatus sis, ut si quæ propositio probabilis etiam in materiâ purè speculativâ tibi falsa videatur, eam illico perinde ac infame lupanar averseris? si ità est, vehementer tibi suadeo, nè Collegio Philosophico unquam te præfici velis, aut finas. Quid enim ageres, cum vix ita possint inter se consentire Philosophiæ Professores, quin saltem in aliquo contradictoria sentiant? nam cùm necesse sit contradictoriarum alteram esse falsam, nunquid tunc falsitas etiàm certissimè toleranda foret.

§. IV.


Confutatur objectio 3.

OBjicitur 3. Professorum Duacensium utrique in votis est loqui posse ut Augustinus locutus est. Satin sanus es, qui hoc objicis? dic apertè; quid infers? Hoc nempè: igitur non sentiunt quæ Thomistæ. Cur ita? Puras ergo à Magistro dissentire discipulum, ab Augustino Thomam? non sic Alex. VII. qui in brevi ad Theologos Lovanienses Thomam Augustino junxit, vocans *tutissima & inconcussa* AUGUSTINI & THOMÆ *dogmata.* His nos utriusque dogmatibus adhærere sic profitemur ut in quibusdam Augustiniana phrasis videatur magis congrua; quod de Gratiâ sufficienti jam superius diximus.

§. V.

Proponitur objectio 4. sequentibus capitibus diluenda.

DEmum objicitur Thesim nos approbasse formulæ Illustrissimi Episcopi Atrebatensis contrariam, imò damnata illa continentem dogmata, quæ ipsa formula ejurat: Igitur non ex animo illi subscripsisse. R. Thesim nos approbasse eo sensu qui neque damnatus sit, neque contrarius formulæ Illustrissimi. Quod ex sequentibus capitibus patebit.



CAPUT TERTIUM.

De Approbatione Theseos.

§ I.

Scopo Authoris Theseos expediebat ut Thesis esset æquivoca.

NOtius est quam ut multis probari debeat unam eandemque propositionem posse ita diversos pati sensus, ut in uno sit hæretica, in alio orthodoxa. Id probat Augustinus lib. de Hæresibus exemplo Coluthianorum & Florianorum, quorum illi damnati sunt, quod dicerent Deum non facere mala: isti etiam proscripti, quia è contrario Deum creare mala pronuntiabant. Errabant Coluthiani negantes Deum irrogare mala pœnæ. Errabant Floriani docentes Deum creare malas naturas & substantias. Igitur utraque propositio: *Deus facit mala*, *Deus non facit mala*, hæretica erat & orthodoxa diverso sensu. Utraque in uno sensu hæretica, quia utraque ut talis damnata; utraque item orthodoxa in alio sensu, quia utraque contradictoria propositionis hæreticæ.

Similiter illam propositionem: *Unus è Trinitate est passus* rejecit Hormisdas Papa, nempe acceptam in sensu Eutychianorum, quasi Verbum in naturâ divinâ passum diceretur. Eandem in sensu usitato acceptam quinta Synodus ut Catholicam definivit.

Sic denique teste Athanasio de Synodis in Concilio Anthiocheno contra Paulum Samosatenum vetitum est asserere Christum esse consubstantialem Patri (nempe secundum humanitatem) contra in Concilio Nicæno adversus Arium definitum est Christum esse Patri Consubstantialem (nempe secundum Divinitatem) unde Arianis eam contrarietatem objicientibus respondet Athanasius, Patres Antiochenos à Nicænis minimè discrepare in re ipsa. Itaque nemini mirum videri debet, si nobis objectam contrarietatem simili modo diluimus, dicamusque uno sensu Thesim contrariam esse formulæ

mulæ Illustrissimi, alio in quo solo approbavimus contrariam non esse.

Certè scopo Authoris Theseos expediebat Thesim esse æquivocam, cum Author non fuerit, ut dicebatur Professor aliquis Seminarii Mechliniensis, qui eam propugnarat; sed Impostor, qui nobis laqueum struebat. Enimverò Thesis, nisi æquivoca esset, nobis quidem laqueus non esset. Bono aliquo sensu intelligi posse oportebat, ut posset capere; malum item aliquem præferre debebat, ut irretire posset & constringere.

§. II.

De explicationibus Approbationi junctis.

VIdebamus Thesim utrique sensui esse obnoxiam. Quare licet Pseudo-Arnaldus, quem verum esse arbitrabamur assereret Thesim à Lovaniensibus, Parisiensibus, & Eruditissimis totius Europæ Theologis, item à pluribus Galliæ Episcopis non tam approbatam esse, quam magnificis decoratam elogiis, tamen non nisi orthodoxè explicatam approbavimus. Quo sane argumento invictissimè ostenditur nihil nos erroris in animo fovisse. Thesim autem nos explicasse & ut hic infra ponimus, judicium cuique conclusioni subjunxisse, nemini jam dubium esse debet, cum provocatus Impostor qui explicationes nostras recepit alias non proferat. Recepisse aliquas constat ex istis datæ ab eo epistolæ verbis: *les approbations de nos Messieurs de Doüay ont été d'un merveilleux secours pour la These en question: mais leurs explication & leurs éclaircissemens n'a pas été bien receu, parce que l'on a crû qu'ils vouloient faire la leçon & qu'ils sembloient supposer, que les juges n'avoint point asez de lumiere pour en penetrer tout le sens.*

Quam verò explicationes sint orthodoxæ vel ex eo colligere licet, quod Impostor videns ex ejusmodi Thesis explicatæ approbatione nihil haberi, quo posset nobis negotium facessere, alteram mox per litteras expetiit, cui explicationes adjunctæ non essent. Hic aliquantum hæsimus ancipites num Arnaldo hoc ut absque mora præstaremus exposcenti obsequeremur, & hæc inter nos: quædam in Thesi duriora sunt, possent intelligi non sano sensu: Verum, inquiebamus, etiam sano intelligi Thesis potest, imò debebit ab illis, qui sensum nostrum & explicationes nostras viderunt. Illis autem solis promittebat ostendendam Pseudo-Arnaldus Approbationem nostram.

Quæ hic dicuntur duæ approbationes in istis circumstantiis pro una haberi debent, prout & dicit D. Arnaldus in querimonia prima: *dans ces circonstances, que l'on a marquez, ces deux signatures ne doivent passer que pour une, & la premiere est une preuve manifeste qu'ils n'avoient sur la grace que des sentimens Orthodoxes & conformes à la Censure de leur Faculté, puis que c'est ce qui leur étoit venu naturellement dans l'esprit étant presé de signer des Propositions tournées malicieusement pour les surprendre, lors méme qu'un fourbe, qu'ils prenoient pour un home tres-sincere les asûroit, qu'il les avoit fait approuver par beaucoup d'habiles gens.*

Itaque approbationem nostram mutilam exhibet Denuntiator, dum explicationes supprimit ad quas in istis circumstantiis ipsa referebatur.

At inquies R. P. Payen. nuperus Rector Jesuitarum Duacensium à nobis in jus vocatus coram Illustrissimo Episcopo Atrebatensi præstito, ut fit, antequam responderet, juramento, dixit se originalia acta, quorum meminit libellus *Lettre d'un Docteur de Doüay*, habuisse in manibus, at non habuisse, neque vidisse se ullas explicationes. Ficta sunt ergo quæ de datis explicationibus nos dicimus. Verùm quis non videt, quàm infirmum hoc sit argumentum? Cùm Impostor illas potuerit sibi retinere tanquam scopo suo inutiles, imò noxias. Quis scit an non illicò ut recepit, flammis dederit? Credibile tamen est retinuisse, ut si quid in iis mutassemus, posset nos confutare. Non deesset mendacium Impostori homini illarum mercium tam diviti, quo fraudem tegeret, fingeret explicationes illas seriùs ad manus suas venisse. Dic, age Pseudo-Arnalde, num iota unum aut apicem unum mutaverimus. Prodi tandem, quid lates de Ecclesia tam benè meritus? Eoquod occultam cuperemus approbationem nostram, confici hinc putas nos nobis malè fuisse conscios: an non times, nè & tu tam sollicitè fugitans lucem reus habearis? Cur nos quidem occultam cuperemus Approbationem nostram, en causa. Meritò nolle poteramus, ut proferretur Approbatio ab explicationibus avulsa, atque ostenderetur iis qui illas non viderant, nam etsi Thesis bono à nobis sensu esset intellecta, tamen malo etiam sensui erat obnoxia. Deinde sciebamus id quod de Gratia sufficienti in Thesi dicitur, nempe nullam dari gratiam sufficientem distinctam ab efficaci, ejusmodi esse ut alibi parere aliquam offensionem posset, Mechliniæ autem non deberet, eo quod ly *gratia sufficiens* in Academia Lovaniensi, ubi Professores omnes Mechlinienses Theologiæ operam dederunt, accipiatur in illa significatione, quam habet in Censuris Lovaniensi & Duacensi & quæ alibi Thomistis hodie minùs est usitata.

Audire videor nobis hunc in modum obstrepentem: recurritis perpetuò ad explicationes, dicitis Thesim vos non probasse nisi explicatam; in approbatione posteriori vos intellexisse Thesim eo sensu quo à vobis explicata fuerat: dicite, si quis dixisset Christum non esse in Eucharistia humana in forma spectabilem, an postea approbare posset eam propositionem, quâ diceretur Christum non esse in Eucharistia, eo prætextu, quod sensum suum anteà explicasset, intelligeretque non esse Christum in Eucharistia humana in forma spectabilem. R. Toto hic cœlo aberraret; toto item cœlo à nobis differret. *Humana in forma spectabilis* additum huic propositioni: *Christus non est in Eucharistia*, restrictio est, non explicatio. Hæc propositio *Christus non est in Eucharistia humana in forma spectabilis* non potest dici explicare sensum hujus, *Christus non est in Eucharistia*. Illa sensum habet restrictum: hæc non restrictum. Hinc illa vera est, hæc falsa & hæretica. At verò has quas subjungimus explicationes nostras approbationi præmissas, non restri-

ctiones

ctiones esse, sed reverà explicationes quibus exponitur sensus, quem propositiones habere poterant & debebant apud eos quibus istæ explicationes fuerant exhibitæ, ex Capite quarto patebit.

EXPLICATIONES A DENUNTIATORE OMISSÆ

Cuique Conclusioni subjunctæ.

Inscribebantur Theses *ad Mentem* D. Augustini *irrefragabilis Gratiæ Doctoris.*

THESIS PRIMA.

GRATIAM efficacem nec semper, nec omnibus dari probat omnium Theologorum consensus & quotidiana tot peccatorum experientia. Illam necessariam esse, ut quis verè & propriè possit opera bona exercere, tentationes superare, &c. fatetur, quisquis in traditione Ecclesiæ, in Augustino, aliisque sanctis Patribus peregrinus non est.

JUDICIUM.

HÆc Thesis, quâ dicitur gratiam efficacem necessariam esse, ut quis verè & propriè possit opera bona exercere, doctrinam continet Augustinianam & Evangelicam, intelligendo de potentiâ complectente omnia necessaria ad agendum. Ita accipit Augustinus loquens de Petro *Putabat se posse, quod se velle sentiebat.* Lib. de Grat. & Lib. Arb. Itâ Christus in Evangelio Joannis cap. 15. *sine me nihil potestis facere:* sine me, utique operante velle & perficere.

SECUNDA.

IGitur qui gratiam aliquam sufficientem ab efficaci distinctam in hunc amissæ innocentiæ statum invehunt, mirum quantùm ab Augustini mente deficiunt, qui naturæ integræ gratiam sufficientem tantùm, lapsæ verò efficacem tantùm attribuit. Hæc si indubitata Augustini principia vel minimum concutias, tota cœlestis illius doctrinæ compages solvatur necesse est.

JUDICIUM.

DOctrina est verè Augustiniana, rejiciens pro statu naturæ lapsæ gratiam sufficientem Molinisticam, de quâ intelligi hanc secundam Thesim patet ex tertiâ. De eâ sic Æstius noster in cap. 3. Apoc. vers. 20. *Quam gratiam sana doctrina non recipit.* Vide censuram Duacensem ad assertionem secundam.

TERTIA.

AT quid de Gratiâ sufficiente sensu Thomistico? Minus displicet, quia, nisi velis hallucinari, particulam includit alienantem, & nebuloso tempore occulendis gratiæ Evangelicæ mysterii est peridonea. Interim cum vox illa & res voce expressa Augustino & purioribus Ecclesiæ sæculis ignota fuerit, illam merito ex sanâ Thologiâ relegandam judicamus.

JUDICIUM.

PRorsùs aptandum foret, ut ly *sufficiens* numquam isto significatu in Scholas inductum fuisset, quo multi utuntur Thomistæ, quia reverâ aliud exprimere videtur, quàm ipsi significare velint. Tametsi enim sufficiens dici possit ad posse aliquod propinquiùs, quàm est posse naturæ, tamen reverà ad agendum sola non sufficit. Unde meliùs Censura nostra Duacensis ad assertionem secundam sufficiens auxilium dicit esse illud, præter quod ex parte Dei non est aliud necessarium, & confundit cum gratia efficaci. Hinc benè dicit Thesis, quòd notio gratiæ sufficientis, etiam sensu Thomistico, ignota fuerit Augustino & purioribus Ecclesiæ sæculis ad salvandam libertatem, utpotè non necessaria: tametsi fatendum sit eam nihil officere veritati, dummodò Molinianâ significatione omninò exuatur.

QUARTA.

PEccatum Philosophicum infelix radix est, in depravatæ Ethicæ Seminariis pridem occultè adolescens; mox ubi erupit, vaticana sensit fulmina, variique errores infallibili connexione cum detestando illo dogmate concatenati, quasi surculi in radice, eodem ictu protriti sunt.

JUDICIUM

HUic Thesi neminem esse opinamur, qui refragari possit.

QUINTA.

HÆc est damnata propositio: Peccatum Philosophicum in eo, qui Deum ignorat, non est offensa Dei; *pergo ulteriùs: si offenditur Deus qui ignoratur, non excusat ergò à peccato ignorantia; adeoque tot studiis & contentionibus agitata quæstio Pontificio oraculo manet decisa, videlicèt quod nulla ignorantia, saltem in jure naturæ, excuset à peccato.*

JUDICIUM.

DOctrina asserens nullam ignorantiam juris naturæ excusare à peccato, qui non excusat in peccato quod vocant Philosophicum, est sana, nec obscurè

obſcurè tradita à SS. Auguſtino, Bernardo, Thomâ & pluribus antiquis, ac melioris notæ Theologis.

SEXTA.

SEd quomodo cum illa peccati Philoſophici cenſura conciliari poteſt bicornis voluntatis indifferentia & Ariſtotelicæ libertatis definitio : Libertas eſt potentia, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere & non agere: *cum utique non poſſit tam vitari, quam non vitari id quod ignoratur? Cave ad ſenſum diviſum & compoſitum, aut ad indifferentiam judicii confugias; vana enim ſunt illa neotericorum effugia, declinandis Semipelagianorum terriculamentis malè adinventa. Satius igitur nobis videtur, & Sancti Auguſtini principiis conformiùs ejuſmodi libertatem in flexibili ad libitum voluntatis indifferentia, & in expeditâ a. rumlibet potentiâ conſiſtentem poſt peccatum Adæ prorsùs rejicere.*

JUDICIUM.

NEgat hæc Theſis ad libertatem in hoc ſtatu requiri bicornem illam ad utrumlibet indifferentiam, nempè; ut loquitur, expeditam, quâ animus in bonum æquè ac in malum ſe flectere poſſit, quaſi ſemper habeat receptam & ſuo nutui obſecundantem gratiam, ac meritò id negat, cum in ignorante Deum apertè illa deſit. Neque putamus neceſſarium confugere ad ſenſum compoſitum & diviſum, neque ad indifferentiam judicii, cum abſque iſtis Beatus Auguſtinus, & Duce Auguſtino Eccleſia, omnia adverſariorum tela retuderit, & concordiam libertatis cum gratiâ plenè defenderit.


SEPTIMA.

INferes illicò neceſſitatem induci in actiones humanas. Apage inania illa conſectaria centies ex famoſis quinque propoſitionibus perperam accerſita, & centies exploſa. Neceſſitatem quidem naturæ & immutabilitatis in hoc viatoris ſtatu abhorremus : aliam verò quamlibet neceſſitatem nihil eſt quod reformidemus, Duce Auguſtino de civitate Dei lib. 5. capite decimo : Si autem definitur neceſſitas, ſecundùm quam dicitur neceſſe eſt ut ita ſit aliquid vel ita fiat, neſcio cur timeamus nè nobis auferat libertatem. *Hanc neceſſitatis cum libertate concordiam deinceps agnoſcet, quiſquis Catholicè ſentiet, & peſtiferam peccati Philoſophici doctrinam seriò ejurabit.*

JUDICIUM.

HÆc Theſis quam juſtè adhorret neceſſitatem naturæ & immutabilitatis tanquam libertati exitioſam, tam meritò admittit alias neceſſitates ut libertati nihil officientes, quales ſunt illæ, quas vocant ſcholaſtici infallibilitatis, conſequentiæ, ex hypotheſi &c. qualem admittit Innocentius I. ad Concilium Carthaginenſe dum dicit: *Neceſſe eſt ut quo auxiliante vincimus, eodem rursùs non auxiliante vincamur.*

His proindè Theſes ſic intellectas, prout etiam intelligi debere credimus ab omnibus, qui in doctrinâ Auguſtini non planè ſunt hoſpites, judicamus doctrinam ſanam & irreprehenſibilem continere.



CAPUT QUARTUM.

Oſtenditur ſigillatim in ſenſu orthodoxo ſeptem Theſeos concluſiones explicari potuiſſe.

§. I.

De primâ Concluſione Theſeos.

QUAMVIS verè & uſitatius dicatur gratiam efficacem non eſſe neceſſariam ut quis verè & propriè poſſit bona opera exercere, ac tentationi reſiſtere; id nullatenûs obſtat, quominùs in ſenſu orthodoxo explicari potuerit quod dicit Theſis Concluſio prima: gratia efficax neceſſaria eſt ut quis verè & propriè poſſit bona opera exercere, ac tentationi reſiſtere. Non enim magis ſunt hæ contradictoriæ, quam illæ priùs memoratæ: *Chriſtus eſt conſubſtantialis Patri: Chriſtus non eſt conſubſtantialis Patri*, prout illam probavit Synodus Antiochena; hanc definivit Nicæna. Quià ut ibi vox *Conſubſtantialis*, ità hic non uno modo accipitur vox *poſſe*. Theſis explicatur de poſſe conſequente, ſeu poſſe complectente, omnia neceſſaria ad agendum: quæ verò ei contradictoria videtur de poſſe antecedente. Utramque propoſitionem clarè explicatam complectitur tertia Undecim Concluſionum noſtrarum.

Ex hujus tamen Approbatione Theſeos concludit Author libelli tradi à nobis Præcepta Dei eſſe impoſſibilia; dùm ita in nos detonat pag. 40. *pendant qu'on publie avec la derniere inſolence, que les Commandemens de Dieu ſont impoſſibles*. Tantiſper, precor, Rhetorem exue, & brevi me reſponſo dignare. Nonnè ideò id dicis, quia ex Theſi ſequitur, gratiâ efficaci deſtitutum non poſſe bonum opus exercere ac tentationi reſiſtere, quod autem non poſſumus, hoc impoſſibile dici debeat? at ego evidenter tibi oſtendo, non Auguſtino; non celeberrimæ Cenſuræ noſtræ Duacenſi, non Sedi Apoſtolicæ eadem eſſe quæ tu pro iiſdem habes. Quid ad hunc ſyllogiſmum?

> Nihil quod præcipitur à Deo eſt impoſſibile:
> Aliquid quod, juxta phraſim Auguſtini, non poſſumus, præcipitur à Deo: ergo
> Aliquid, quod juxta praſim Auguſtini non poſſumus, non eſt impoſſibile.

Conſequentia eſt ineluctabilis, ſyllogiſmus eſt in *ferio* omnibus numeris abſolutus. Major eſt indubitata huic æquivalens famoſo Auguſtini effato,

Deus

Deus impossibilia non jubet. Minor ejusdem est Augustini; & quæ tibi in oculos incurrere debuit, si modo eam Augustini sententiam vel in ipso vel in Tridentino, quod suam fecit, vel alibi citatam, integram legisti. Ita enim Augustinus: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere quod possis & petere quod* NON POSSIS. Audin, *petere quod* NON POSSIS? Ergo quædam non possumus juxta phrasim Augustini, non ideò tamen impossibilia. Et ne quid cavillari possis, en tibi tres Augustini sententiæ, unde planè convinci debeas. Ipse S. Doctor qui generaliter asserit Deum impossibilia non jubere, idem tamen dicit libro de Gratiâ & Lib. Arb. cap. 15. *ad hoc valet quod scriptum est: si volueris conservabis mandata, ut qui voluerit &* NON POTUERIT, *nondum se planè velle cognoscat*; cap. 16. *ideò jubet aliqua quæ* NON POSSUMUS, *ut noverimus quænam ab illo petere debeamus*; & cap. 17. ejusdem lib. *qui vult facere mandata Dei &* NON POTEST, *jam quidem habet voluntatem, sed adhuc parvam & invalidam.*

Idem quod te latuit discrimen, agnoscit etiam ac probat Facultas nostra in Censurâ ad assert. 3. Ibi relata Augustini sententia: *Deus impossibilia non jubet*, &c. subjungit: *si autem petentes quidam nondum possunt, quantò minùs possunt non petentes, imò nec petere volentes, nec eum à quo petatur agnoscentes? nec ob id putandum est aliquid impossibile juberi.* Ita Censura nostra, in cujus doctrina Facultas nostra Duacensis superiori anno se perseverare professa est.

Denique ut ad priorem syllogismum, quo te constrictum video, alterum adjiciam & rursùs evidenter tibi demonstrem illam primæ theseos propositionem bono sensu explicari potuisse.

> Quidquid à Summo Pontifice Alexandro VII. est approbatum, potuit à nobis innoxiè approbari & benignè explicari: atqui Dici posse bono sensu; gratiâ efficaci destitutum bene operari ac tentationi resistere non posse, adeoque bono sensu gratiam efficacem necessariam esse ut quis verè & propriè possit &c. ab Alex. VII. est approbatum, ergo
>
> Id à nobis potuit innoxiè approbari, & benignè explicari

Majorem, credo, non negabis. Minorem probant articuli quinque Illust. Episcopo Convenarum oblati, & per eundem ab Alex. VII. transmissi, ac denique ab Alex. VII. probati. In primo hæc habentur. *De his ergo justis quibus illa magna non adest gratia, licet parva & imperfecta non desit, verè utrumque dici potest, & potuisse illos Dei mandata servare, tentationique resistere, eosdemque alio sensu non potuisse. Potuerunt enim prorsùs, quia non solùm Liberi Arbitrii virtutem & gratiam habitualem habuerunt, sed etiam gratiam actualem, quæ sufficiens dici potest Thomistarum sensu, qui gratiæ efficacis necessitatem supponit.*

At quia absente gratiâ efficaci nunquam contingit ut voluntas sicut oportet tentationi resistat, constansque est apud Thomistas dogma gratiam sufficientem ab efficaci separatam non complecti omnia ad piè agendum necessaria, ideò usitatissima

Scrip-

Scripturis Patribusque locutione & Thomistis omnibus probata hoc sensu dici potest justos illos ejusmodi sufficienti gratiâ instructos tentationi, cui succubuerunt, resistere non potuisse, quia nimirum ejusmodi potestatem non habuerunt, quæ complecteretur omnia ad agendum necessaria, cùm gratiam efficacem ad agendum utiquenecessariam non habuerint.

Dicesnè forsitan horum quinque articulorum approbationem esse confictam. Quid ad vindicias, quas hic exhibuerunt Carmelitæ excalceati 13. Martii hujus anni 1691. conclusione 13. ubi hæc habent: *Illos articulos approbatos esse à Summo Pontifice videtur certum: Hoc quippe testatur Gonetus* (*tom. 1. Apolog. Thomist. art. 8.*) *in sua Theologia paulò post impressa, à Theologis Facultatis Parisiensis & Burdigalensis approbata. Hoc testatur Contensonius & Jacobus à Sancto Dominico. Quis credat quòd Sapientissimi utriusque Facultatis Magistri vivente Pontifice, viventibus Episcopis, ad quos istud Breve erat directum, hoc factum calculo suo probatum voluissent; si Theologorum aliquot commentum fuisset? Quid credat quòd Contensonius & Jacobus à Sancto Dominico Viri à restrictionibus mentalibus alienissimi tantâ certitudine illud ausi fuissent referre, si esset inventum hominum? ..... Posuimus illud breve in Thesibus, nullus contradixit. Proposuimus in disputationibus publicis P. Pinte coram omnibus Jesuitis, confessus est & non negavit. Quare ergo tunc erat verum & jam est falsum? An fortè quia vivebat Episcopus Tornacensis* (anteà Episcopus convenarum) *& nunc mortuus est?*

Ceterum ne crede nobis necessarium ut operosiùs de istis articulis tecum disputem. Illud enim abunde sufficit, quod negare aut in dubium revocare nullatenùs potes. Illos articulos probavit Gonetus tom. 1. in Apol. Thomist. art. 8. ut doctrinam continentes sanam, orthodoxam, Thomisticam, probarunt Theologi Facultatis Parisiensis & Burdigalensis Goneti Approbatores, probarunt Contensonius & Jacobus à S. Dominico, quibus adde novem alios ex eadem Familia Dominicana Theologos, qui vel Gonetum vel Contensonium vel Jacobum à S. Dominico approbarunt. Denique probavit nuperrimè & amplexus est Romæ coram Alex. VIII. Generalis Dominicanorum. Probarunt igitur hi omnes bono sensu explicari posse quod dicit Thesis, gratiam efficacem esse necessariam ut quis verè & propriè possit opera bona exercere ac tentationi resistere. Si illi innocentes quomodo nos rei?

§. II.

De secundâ Conclusione Theseos.

Is nobis intendi potest circa hanc conclusionem potissimùm, propter duas quas habet propositiones. Utramque complectitur illa quæ est virtualiter copulativa: Augustinus naturæ lapsæ gratiam efficacem tantùm attribuit: æquivalet enim huic: secundùm Augustinum in statu naturæ lapsæ

psæ omnis Gratia est efficax; & nulla est sufficiens nempe distincta ab efficaci, ut per se clarum est intelligi debere, & ipsa Thesis exprimit dum dicit: *qui gratiam sufficientem ab efficaci distinctam in hunc amissæ innocentiæ statum invehunt, mirum, quantum ab Augustini mente deficiunt.*

Quod ad primam propositionem attinet: *omnis gratia in statu naturæ lapsæ est efficax*, quis est quem non convincere debeant hanc in bono sensu accipi potuisse tum *Sylvius*, tum Cardinalis *Laurea*, tum denique Eximii ac Doctissimi conclusionum nostrarum Approbatores?

Falleris tamen si in conclusione quinta inter illas nostras Undecim ubi quærimus, an illa propositio benignè exponi possit, duos tantùm numeras qui nobis suffragentur suprà nominatos *Sylvium* & Cardinalem *Lauream*; cùm *Sylvius* non tantùm se Approbatorem, sed & aliorum Approbatorum nubem quandam exhibeat. Testatur enim dici solere, omnem gratiam esse efficacem, adeòque illam propositionem esse celebre quoddam & pervulgatum Axioma apud Gratiæ per se efficacis vindices.

An non id Thomistis omnibus probari debet? qui unanimiter asserunt omne auxilium quod sufficiens vocant comparatione unius actûs semper esse efficax respectu alterius, ad quem efficiendum decreto absoluto divinæ voluntatis destinatur. An non postulat, ut hoc bono sensu explicari possit locus qui ad illud probandum afferri consuevit ex Is. cap. 55. *Verbum meum quod egredietur de ore meo non revertetur ad me vacuum, faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud?*

Consistit teste *Goneto* tom. 1. disp. 4. art. 5. §. 3. ad 1 utrumque auxilium tum illud quod sufficiens Thomistæ vocant, tum efficax *in motione quadam supernaturali applicante potentias animæ ad actus supernaturales, cum hoc tamen discrimine, quod auxilium sufficiens movet tantùm & applicat ad actus imperfectos, qui animam disponunt & præparant ad perfectiores: auxilium verò efficax movet & applicat ad actus perfectos.* Cùm illos imperfectos motus absolutè efficaciter operetur Deus, cur dici non poterit eam motionem quâ mediante illos operatur esse efficacem? Si omnis motio Dei est efficax, si omnis gratia est motio, cur dici non possit, omnis gratia est efficax?

Quod si Gratiam sufficientem Thomisticam quidam vocant efficacem secundùm quid, id non nisi majoris claritatis causâ faciunt ut istas duas motiones in quibus utrumque dictum auxilium consistit melius distinguant. Ceterùm nemo Thomistarum negat gratiam quam sufficientem vocant, absolutè esse alicujus effectûs productricem.

Fateor, non omnem producit effectum ad quem excitat, & ex antecedente Dei voluntate ordinatur: sed hoccinè impedit quominùs efficax dici possit? Nega igitur gratiam efficacem propositi servandi Dei mandata efficacem dici posse, cùm illa ex Dei voluntate antecedente ordinetur & excitet ad perseverantem mandatorum Dei observationem, qui effectus non semper habetur & nunquam nisi per novarum gratiarum accessum.

At enim nonnè ex illa : omnis gratia est efficax sequitur hæc : *Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ non resistitur* quæ est secunda inter quinque famosas ab Innoc. X. & Alex. VII proscriptas ? Minimè sanè ; cùm gratia ad unum actum efficax esse possit inefficax & excitans tantùm respectu actus ulterioris,ad quem ex natura sua tendit & ex voluntate Dei antecedente ordinatur. Itaque licet tali gratiæ efficaci non resistatur quoad actum proximum , respectu cujus est efficax , resistitur tamen quoad actum ulteriorem respectu cujus est tantùm excitans.

Auguror neminem Thomistarum fore qui non Religioni sibi ducat hanc propositionem *Sylvio* , aliisque Thomistis adeò probatam impugnare. Erit fortasse, cùm in conclusionibus nostris duplicem veram CHRISTI Gratiam admittamus, qui nos contradictionis arguat. Siquidem probamus istud : *Omnis gratia est efficax* , & dicimus planè oppositum , videlicet : *alia est per se efficax* ; *alia quam Thomistæ sufficientem vocant* ; igitur *non omnis efficax*. Gratulor certè mihi , cui jam objici nihil potest, quin idem *Sylvio* objici debeat. An credis secum pugnare *Sylvium* , qui eodem ipso loco ubi testatur solere dici omnem gratiam esse efficacem, stabilit divisionem gratiæ in efficacem & sufficientem Thomisticam ? Disce ergo *Sylvio* & nobis vocem *gratia efficax* dupliciter accipi , uno modo generaliter , altero strictè. Strictè sumpta ut distinguitur contra Thomisticè sufficientem , significat gratiam quæ movet & applicat ad actus perfectos , ut suprà audivimus dicentem *Gonetum*. Generaliter sumpta significat omnem gratiam , quæ habet aliquem effectum , seu quæ movet & applicat ad actus vel perfectos , vel imperfectos; & juxta eam significationem ly *gratia efficax* complectitur gratiam efficacem strictè, & gratiam Thomisticè sufficientem. Non sunt igitur hæ duæ contradictoriæ : *Omnis gratia est efficax* , & *non omnis gratia est efficax* , si *efficax* in affirmativa sumatur generaliter, in negativa strictè, cùm non sint affirmatio & negatio ejusdem , sive cùm non constent eodem prædicato quoad significationem , licet constent eodem quoad vocem.

Ne tamen adhuc cuiquam lubido incessat obstrependi , nostramque istius propositionis Approbationem sugillandi , tot illius Approbatores profero , quot habet TRIUMPHUS THOMISTARUM PER PHILALETHEM Hui quàm multos tum ex Academia Lovaniensi tum ex hac Duacena ! Quos inter Ex. Dom. D. *Jacobus Randour* , *De la Verdure* , *de Bethencour* , alii ex Familiis SS. Dominici, Augustini , Benedicti , Norberti. Etenim PHILALETES opusc. I. cap. 2. art. I. post num. 124. reprobat quod junior Molinista probare intendebat , nimirùm dari gratiam sufficientem , quæ non sit efficax : *præcipua* , inquit , *intentio supradicti junioris fuit probare dari gratiam sufficientem quæ non sit efficax. Verùm paucis ostendo longè eum aberrare à veritate Angelica.* Igitur PHILALETES censet non dari gratiam sufficienrem , quæ non sit efficax , adeoque omnem gratiam etiam illam , quæ sufficiens vocatur , esse efficacem , & longè aberrare à veritate Angelica , qui contrarium tueatur.

Pro Auctario sit *Neesenius* non ita pridem Seminarii Mechliniensis Præses in quo hæc Thesis propugnata dicebatur, qui in tomo de Actibus humanis tract. 18. qui est de Gratia dub. 8. eandem propositionem ut veram admittit. Ita enim scribit, *Petes: quomodo omnis gratia interior sit efficax cùm inde sequatur propositionem ab Innoc. X. damnatam, nempe hanc, gratiæ interiori nunquam resistitur esse malè damnatam? Resp.* (utique concesso antecedente) *negando sequelam*; solvitque illum nodum eo modo quo nos suprà.

COPULATIVÆ PARS ALTERA EXPLICATUR.

Altera pars copulativæ isti æquivalentis: *Augustinus naturæ lapsæ tantùm attribuit gratiam efficacem* est hæc: secundùm Augustinum in statu naturæ lapsæ nulla est gratia sufficiens, nempe distincta ab efficaci, quo modo intelligi debere liquet ex oppositione gratiæ sufficientis contra efficacem, tum ex eo quod & ipsa secunda conclusio Theseos in initio illud disertè exprimit, dum (ut adhuc superiùs relatum est) sic habet: *qui gratiam aliquam sufficientem ab efficaci distinctam in hunc amissæ innocentiæ statum invehunt, mirum quantum ab Augustini mente deficiunt.*

Si hanc gratiam sufficientem ab efficaci distinctam, non restringendo, sed explicando potuimus intelligere, ut intelleximus, sufficientem Molinianam, nostri sunt Thomistæ omnes, cùm eorum nemo illam respuat.

Potuisse autem ac debuisse ita nos intelligere sic probavimus in judicio huic conclusioni subjuncto, ubi dicimus: *doctrina est verè Augustiniana rejiciens pro statu naturæ lapsæ gratiam sufficientem Molinianam, de qua intelligi hanc secundam Thesim patet ex tertia.* Quia scilicet in tertia demum sermo est de gratia Thomisticè sufficiente, ubi quæritur: *At quid de gratia sufficiente sensu Thomistico?*

Verùm ut id pateat magis, duabus aliis rationibus, dupliciqué adeò syllogismo demonstro. Primus sit:

> Omnis gratia sufficiens distincta à gratia efficaci generaliter sumpta est gratia sufficiens Moliniana. Atqui
>
> Gratia sufficiens, de qua in Thesi, est gratia sufficiens distincta à gratia efficaci generaliter sumpta. Igitur
>
> Gratia sufficiens, de qua in Thesi, est gratia sufficiens Moliniana.

Major probatur: gratia efficax generaliter sumpta sub se comprehendit gratiam strictè efficacem, & gratiam excitantem, quam Thomistæ sufficientem vocant, à qua sanè distincta esse non potest gratia sufficiens, nisi sit Moliniana.

Probatur minor: Gratia sufficiens, de qua in Thesi, opponitur Gratiæ illi efficaci, de qua dicit Thesis: omnis gratia in hoc statu est efficax: atqui gratia eo sensu efficax, quo cum Sylvio, aliis Thomistis ac Triumpho Thomistarum dici potest omnem gratiam esse efficacem est gratia efficax generaliter sumpta. Igitur gratia sufficiens, de qua in Thesi, intelligi debuit gratia sufficiens distincta à gratia efficaci generaliter sumpta. Cùm perfectus

sit

ſit ſyllogiſmus, nemo jam negare poſſit, gratiam ſufficientem de quâ in Theſi, intelligi debuiſſe gratiam ſufficientem Molinianam.

Alterò nunc ſyllogiſmo conficio Theſim, quæ gratiam ſufficientem à ſtatu naturæ lapſæ removet, non potuiſſe intelligi de gratiâ ſufficiente ſenſu Thomiſtico.

> Quiſquis negat gratiam Thomiſtico ſenſu ſufficientem eſſe verè ſufficientem, is non poteſt cenſeri de illâ agere, dùm loquitur de gratiâ ſufficienti abſque addito. Atqui
>
> Author Theſeos negat gratiam Thomiſtico ſenſu ſufficientem eſſe verè ſufficientem. Ergo
>
> Author Theſeos non poteſt cenſeri de illâ agere, dùm loquitur de gratiâ ſufficienti abſque addito.

Major eſt evidens: ita quiſquis loquitur ſimpliciter de hominibus, canibus, lapidibus, non cenſetur loqui niſi de iis quos veros exiſtimat homines, canes, lapides.

Minor item evidens eſt: nam in tertiâ concl. dicit Author Theſeos particulam *ſenſu Thomiſtico* eſſe particulam alienantem reſpectu vocis *gratia ſufficiens*, adeoque negat gratiam Thomiſticè ſufficientem eſſe verè ſufficientem.

Quod quô ſenſû verè dici potuerit, vide concl. 6. inter noſtras undecim ad calcem hujus ſcripti editas: ubi quærimus, an particula ſenſu Thomiſtico ſit alienans reſpectu vocis *gratia ſufficiens*; undè perſpicies hoc in ſenſu non ſolùm vulgari, ſed & doctiſſimorum virorum verè dici potuiſſe (quamvis ibi alium etiàm afferamus ſenſum quo id dici non poteſt) & ulteriùs inferes: ſi vulgus omne, ſi Cenſura Duacenſis & Lovanienſis utraque ad aſſert. 2. id ſolum auxilium ſufficiens vocat, præter quod ex parte Dei non eſt aliud neceſſarium, ſi hodieque teſtantur Lovanienſes *adhærere ſcholam moderniam antiquæ in appellatione gratiæ ſufficientis, quo nomine hæc ubique proteſtatur ſe illam ſolum intelligere gratiam, quæ ſufficit ut homo agat convertatur &c.* An non potuit Profeſſor Seminarii Mechlinienſis Lovanio vicinus, Lovanii Theologiæ Lauream adeptus in eadem ſignificatione ibi uſitata accipere vocem *ſufficiens?* Quod ſi potuiſſe fateris, dic rursùm, an in illâ ſignificatione accipiens iſtam vocem per gratiam ſufficientem ab efficaci diſtinctàm aliam intelligere potuerit, niſi Molinianam?

§. III.

De Concluſione tertiâ Theſeos.

CUr aliquantùm diſplicêre potuerit gratia Thomiſticè ſufficiens, accuratè id expreſſum in judicio huic concluſioni ſubjuncto, nempè quod gratia excitans eo nomine vocetur, cum propriè ſufficiens non ſit. Unde

Unde Viri sapientissimi profitentur se, si nunc primùm ageretur de eâ voce instituenda ad significandam gratiam excitantem, manibus pedibusque obstituros. Et Cardinalis *Laurea* opusc. 3. cap. 3. *cum aliis*, inquit, *Viris doctis miratus sum, cur Theologi moderni gratiam illam Divinam, qua homo vocatur, excitatur, illuminatur, inspiratur ad bonum faciendum, & effectum non obtinet, vocare cœperunt sufficientem ad distinctionem efficacis, quæ semper habet annexum effectum, cùm satis non sit ad eum ponendum sicut efficax, quæ in rigore dici deberet sufficiens.*

Cæterum cùm dicit Thesis gratiam Thomistico sensu sufficientem minùs displicêre, satis ostendit sibi non usquequaque displicêre. Conforme est judicium nostrum conclusioni subjunctum, ubi testati sumus eam veritati nihil officere, dummodò Molinianâ significatione omninò exuatur; quod quidem fit apud peritos, quando exprimitur additâ particulâ *sensu Thomistico*. Quo sensu autem dici potuerit particulâ alienans respectu vocis *gratia sufficiens*, quorsùm hic repetam? habes loco supra citato ad concl. 6. inter nostras Undecim, ubi & habes quô sensu non sit.

Illud præterire non possum, quod denuntiator, ubi retulit me illibenter uti termino *gratia sufficiens*, & dûm utor, addere particulam alienantem *sensu Thomistico*, in rebus Theologicis agere me histrionem clamitat. Est profectò, lugende sannio, ubi hos sales meliùs colloces. Cur non potius histriones vocas illos, qui servientes tempori & scenæ ita omnem personam induunt, ut ab uno interrogati, an aliquid secundum se liceat, respondeant non licêre, idem rogati ab altero licêre respondeant, etiam juxta eam sententiam, quam speculativè falsam esse certò sibi persuadent? An non in eos potiùs quadrat, quod in nos perperam jecisti: *domestici ejus vestiti sunt duplicibus?*

Verùm hi sunt fortè histriones, qui tibi minimè damnandi videantur, uti nec damnandum censebat *Caramuël* eum, *qui* (ut ipse *Caramuël* loquitur relatus à *Sinnichio* in Vindiciis Decalog.cap. 23. §. 3. num. 6.) *adhæsit commune Gallorum sententiæ* (quæ Reges in temporalibus negat subjectos Pontifici) *Et rogatus: quid si essetis Romæ? Respondit: mutaretur cum aura animus; sentiremus ut Romæ.*

Fateor tamen ejusmodi histrioniam, licet tibi probaretur, me plurimûm aversari, & quam falsò pro histrione quocumque habueris, ostendo. Cur illibenter utar termino *gratia sufficiens*, jam superiùs rationes, nî fallor, non planè spernendas ingenuè aperui. Adjicio, quod de se Ex.D. *Steyaert* alias testatus est, me nunquam uti simpliciter, sed additis tantùm iis particulis, quæ istam vocem ad sensum Thomistarum determinent. Quid hinc concludis? non igitur, inquies, ex propriâ sententiâ loqueris. Quidni? cum sentiam gratiam Thomistico sensu sufficientem verè sufficere ad id, ad quod sufficere dicunt Thomistæ, nimirùm ad posse, sive ad actum primum. Instabis, *sensu Thomistico* est particula alienans: igitur gra-

tia

tia Thomisticè sufficiens non est verè sufficiens. Sit ita, accipiendo vocem sufficiens in vulgari significatione, quia ad agendum non sufficit. Inferes sufficientem me vocare, quam sufficientem esse non censeo. Rectè inferres, si sufficientem simpliciter appellarem; at si appellem additâ particulâ *Thomistarum sensu*, hoccinè est loqui aliter ac sentio? hoccinè est agere histrionem in rebus Theologicis?

Non possum, quin candidè tibi aliud exemplum proferam, ubi fateor me non dissimiliter loqui. Sentio peccatum veniale propriè esse contra legem Dei, cum alicui Dei præcepto seu legi verè adversetur, itaque dum dicitur peccatum veniale non est contra legem Dei sensu Thomistico ly *sensu Thomistico* esse particulam alienantem respectu vocis *contra legem Dei.* Idem tamen existimo citra culpam hoc à me dici posse: peccatum veniale non est contra legem Dei *sensu Thomistico*, sed præter, quia peccatum veniale finem & plenitudinem legis, quæ charitas est, non evertit, quamvis libentiùs aliam phrasim usurpem, quâ dicitur absolutè peccatum veniale esse contra legem Dei. Nisi me mea vehementer fallit opinio, nemo Theologiæ vel mediocriter peritus dixerit hoc esse agere histrionem in rebus Theologicis, adeoque non in casu priori, cùm non tam ovum ovo sit simile, quàm hoc exemplum alteri.

Quam igitur ineptè hic profudisti tot amarulentos jocos, quibus etiàm fratrem involvere visum est, ut aliquid invidiæ mihi conflatæ in eum derivares. Egregiam vero laudem & spolia ampla parasti, si jocis & calumniis tuis illud etiàm consequare ut ipsi omnem ad potiundum Canonicatu Ariensi sibi collato aditum intercludas.

Reliquum est ut monstremus, quemadmodùm à nobis benignè explicari potuerit, quod in hàc conclusione Theseos dicitur, rem voce *gratia sufficiens* expressam Augustino & purioribus sæculis ignotam fuisse.

An ergo ignota fuit Augustino Gratia excitans, quæ est realiter eadem cum gratia sufficienti? R. Ex his quæ habemus in *Epist. ad quemdam Baccalaureum* ita Thesim nos fuisse interpretatos, non quasi ignota fuerit Augustino gratia excitans, sed quia ignota fuisse videtur sub conceptu sufficientis. Sic dùm dicit Aug. l. 8. conf. cap. 5. *voluntas nova quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem. Deus, nondùm erat idonea ad superandum priorem vetustate roboratam*, gratia bonæ istius voluntatis gratia erat excitans, nec tamen agnita sub conceptu sufficientis, sed sub conceptu insufficientis. Atque ut hujus difficultatis enodationem distinctione usitata clariorem reddam, dùm dicit Thesis rem fuisse ignotam Augustino, id intelligo formaliter, id est, ignotum fuit materiale significatum vocis gratia Thomisticè sufficiens sub ratione formali sufficientis. Fateor autem rem voce expressam, secundùm materiale saltem, nullatenùs ignotam fuisse Augustino. Non est igitur par ratio hujus vocis *sufficiens*, & quarumdam aliarum, quas non usurparunt antiqui, ex. gr.

vocis

vocis *transubstantiatio*: nam res hâc voce expressa antiquis tam secundùm formale, quam secundùm materiale nota fuit. Non est autem mirum, quod formale significatum vocis *sufficiens* sivè sufficientiam non attribuerint Patres gratiæ solum excitanti, quia sufficientiam gratiæ nunquàm compararunt ad actum primum, sed semper ad actum secundum.

Sic interim expressionem alterius explicavimus, ut nos ipsi eâ non utamur. Unde ita dicimus concl. 6. inter nostras undecim: *admittenda est gratia Thomisticè sufficiens saltem quoad rem eâ voce significatam*, addimus, *nempè materiale significatum illius vocis: sivè admittenda est gratia actualis interior excitans, quæ idem est realiter ut dicit Alvarez & communiter alii Thomistæ, quod gratia Thomisticè sufficiens.* Quæ si perpendis, comperies nullam esse contradictionem in his quæ ibi, & quæ dicimus explicando Thesim.

Ita autem Thesim à nobis fuisse intellectam probat explicatio, quam non post approbationem Theseos quæsivimus, sed quam ipsi conclusioni approbantes subjunximus.

Licet hoc satis sit ut pateat sensum nostrum esse ac fuisse orthodoxum, lubet quædam addere ut appareat illum saltem absque graviori imprudentiæ culpa potuisse Thesi per explicationem aptari.

Hujus difficultatis in quâ non agitur jam de fide nostrâ, sed de verborum significatione, cardo in hoc vertitur; utrùm per rem voce gratia sufficiens expressam intelligere potuerimus gratiam sufficientem sub ratione formali sufficientis. Ut potuisse videamur, tria quæro.

Primùm, an ista vox *gratia Thomisticè sufficiens* accepta pro gratia, quæ Thomisticô sensu sufficit, accipiatur pro se ipsa, seu pro ipso sono? Haud dubiè negabis. Igitur accipitur pro re significatâ: nam acceptio vocis est usurpatio vocis pro se ipsa, vel pro re significatâ. Igitur gratia quæ Thomisticô sensu sufficit, & quatenùs sufficit vocari potest res per vocem significata.

Quæro deindè, an voces *gratia Thomisticè sufficiens*, & *gratia excitans* æquè sint voces synonymæ ac illæ, *ensis* & *gladius*? Negabis iterùm, utique quia voces *ensis* & *gladius* prorsùs idem significant: *gratia* autem *sufficiens Thomisticè* & *gratia excitans* significant eandem rem materialiter, sed non eandem rem formaliter. Concludo quod priùs.

Quæro 3. si herba à sæculis semper notissima hoc tempore comperiatur à Medicis præsens esse alicui morbo remedium, an non possit dici remedium illud priscis fuisse incognitum? Fatebere, utique quia quamvis herba nota fuerit, atque adeò materiale illud quod est in remedio, non tamen formale, sive nota non fuit herba ut medica & sub ratione remedii. Igitur à nobis ita exponi potuit illud *res voce expressa* ut crederemus authorem Theseos intelligere rem voce expressam formaliter, sivè gratiam excitantem quatenùs sufficientem fuisse Augustino incognitam.

Contendet quis doctrinæ Thomisticæ fieri injuriam, eo quod sufficientia,

ficientia, quam tribuit gratiæ excitanti, dicatur fuisse Augustino ignota. Rectè id contenderet, si acciperemus positivè pro *reprobata:* verùm accipimus negativè ut sit idem quod *non nota.* Fuit itaque ignota quidem sed non reprobata aut impugnata, eò quod Augustinus contra Pelagianos disputans & agens de sufficientia ac de posse supernaturali, ageret de sufficientia perfecta ad actum 2. ac de posse omninò completo.

Instabis: aliquid ergo reperêre Thomistæ Augustino ignotum, adeòque etiam Thomistæ debent sibi videri nani giganteis Augustini humeris insistentes, qui plus Augustino videant: quid enim aliud significat istud de herba allatum exemplum?

R. Insulsa prorsùs hæc sequela: absit ut iis qui discipulatu illuminatissimi Doctoris Augustini adeò gloriantur, illum attribuam Thrasonismum. Exemplum illud non alium ob finem protuli, quam ut ductu à significatione vocis *remedium* vel *herba medica* argumento ostenderem non omninò absonè illud *res voce gratia sufficiens expressa* accipi potuisse pro significato utroque materiali & formali vocis gratia sufficiens, sive pro gratiâ sufficienti sub ratione formali sufficientis.

Ignota autem fuerit Augustino gratia excitans sub ratione sufficientis; quia in disputatione contra Pelagianos de illa sufficientia ad actum primum à secundo separabilem non agebatur; quis indè inferre possit Thomistas sibi nimiùm arrogare, quasi quidpiam repererint quod Augustinum fugerit, & ipse velut sub caligine constitutus videre non potuerit? Nonnè plura sunt etiam in materiâ de Gratiâ quæ ab omnibus scholasticis tractantur, & ab Augustino in neutram partem sunt disputata? Quis idcircò dixerit omnes supra Augustinum sapere velle? Itaque, quod præcipuè in causâ fuisse videbatur, cur Authori Theseos displiceret Gratia sufficiens Thomistarum, hoc est, quod licet Augustinus eam sufficientiam, quam tribuunt Thomistæ gratiæ excitanti, consideraffet, non videatur tamen unquam gratiam ad actum primum dumtaxat sufficientem vocaturus simpliciter sufficientem. Ex eo id ominari licet, quod gratiam ad aliquid inefficacem simpliciter ad illud inidoneam seu insufficientem vocet.

Hæc hactenùs de explicatione istius propositionis, qua dicitur res voce expressa fuisse Augustino incognita. Profitemur tamen illam expressionem nostram non esse, nosque inhærere expressioni conclus. nostræ 6. inter Undecim, quia pronius est ut per rem voce *gratia sufficiens* expressam intelligatur significatum materiale istius vocis. Unde & dici potest dicimusque inter eos qui admittunt & vocant gratiam sufficientem Thomisticam, & eos qui excitantem vocare malunt, esse quæstionem de solo nomine accipiendo ly *solo* ut tantùm excludat rem quæ est materiale significatum, quam rem admitti oportere inter omnes Catholicos convenit.

Ceterum quàm nihil iste sensus quo Thesim explicavimus adversetur con-

condemnationi quinque famosarum propositionum satis nunc manifestum arbitror, quamque hæc Theseos explicatio prorsùs consonet doctrinæ conclusionis nostræ 6. inter undecim ubi concludimus: *nullius erroris argui posse eum qui professus (uti profitemur) se admittere gratiam interiorem actualem quæ dat posse, & cui in hoc statu naturæ lapsæ resistitur, eam excitantem vocare mavult, quam sufficientem.*

Fortaissis non deerit, qui urgeat vocari oportere sufficientem simpliciter, non additâ particulâ *sensu Thomistieò*, ad hoc ut dici possit: gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ resisti. Verum quis non videt, quam nullo fundamento? An non illud dictum fuit, priùs quam ipsa sic vocaretur? An credidit Augustinus vocandam gratiam sufficientem illam, cui diceret resisti? Imò verò quià resistebat illi, quæ eum ad conversionem inefficaciter excitabat, inidoneam (hoc est insufficientem) dicebat ad superandam priorem voluntatem vetustate roboratam.

Nusquam certè Augustinus gratiam imperfecti ad bonum conatus vocat gratiam sufficientem: idem tamen admittit ejusmodi gratiæ resisti. Videsis lib. 8. conf. cap. 9. ubi quærit: *Unde hoc monstrum, & quarè istud? Imperat animus corpori, & paretur statim: imperat animus sibi, & resistitur.* Agit August. de hâc resistentiâ ex occasione illius, qua sibi ad resipiscendum excitato resistebat: quod cum non posset, nisi unà resisteret gratiæ ad resipiscendum excitanti, liquet Augustinum admisisse resisti gratiæ imperfecti ad bonum conatus. Ita enim hanc quæstionem de animo sibi imperante ut velit & resistente, solvit: *sed non ex toto vult: non ergo ex toto imperat: Nam in tantum imperat in quantum vult, & in tantum non fit, quod imperat, in quantum non vult..... non itaque plena imperat: ideò non est quod imperat.*

§. IV.

De quartâ Conclusione Theseos.

DE quartâ idem quod antè ferimus judicium, neminem esse opinantes, qui illi refragari possit.

§. V.

De quintâ Conclusione Theseos.

IN judicio, quod de quintâ tulimus, consultò abstinuimus ab approbandâ consequentiâ, quam per litteras significavimus nobis infirmam videri, satis habentes approbare doctrinam in eâ Thesi contentam de ignorantiâ juris naturæ ut sanam nec obscurè traditam à SS. Augustino, Bernardo, Thoma, & plurimis antiquis ac melioris notæ Theologis, quam etiamnùm ut talem approbamus

§. VI.

De sextâ Conclusione Theseos.

ITa dilucidè ostensum est orthodoxè hanc Thesim à nobis fuisse explicatam, ut pluribus id ostendere supervacaneum videatur.

An fortè objicietur Thesim à nobis non tam explicatam fuisse, quàm restrictam? In quo? Libertatem, inquies, bicornem interpretamini æquilibrem & expeditam. Immò verò ipsa Thesis apertè loquitur de æquilibri: *cum utique*, inquit, *non possit tam vitari quam non vitari id quod ignoratur*. Quasi diceret ut notamus in *Epist. ad quemdam Baccal.* non haberi potentiam æquè expeditam & instructam ad vitandum peccatum, quam est expedita ad non vitandum: talis enim æquè instructa potestas non habetur in peccante eo peccato, quod dicebatur Philosophicum.

Ad hæc ipsa Thesis disertè loquitur de Indifferentiâ expeditâ, dum dicit: *Satiùs igitur nobis videtur & S. Augustini principiis conformius ejusmodi libertatem in flexibili ad libitum voluntatis indifferentia & in* EXPEDITA *ad utrumlibet potentia consistentem post peccatum Adæ prorsùs rejicere.*

Falsum hoc quidem & damnandum, si vocem *expedita* accipias prout illam explicamus Conclus. 10. inter Undecim nostras; debet enim admitti (ut ibi admittimus) indifferentia voluntatis ad utrumlibet hoc sensu expedita etiam in hoc statu naturæ lapsæ, quia verè in utrumlibet ferri potest voluntas, adeoque expedita est ab impedimento auferente potestatem ad utrumlibet. Si tamen vocem *expedita* accipis, ut explicamus conclus. 11. hoc sensu quod potentia æquè feratur facilè in bonum ac in malum; haud dubium, quin negare oporteat cum Augustino remanere post peccatum Adæ indifferentiam sic expeditam.

Isto autem sensu intelligere nos potuisse indifferentiam expeditam, claret ex loco Augustini in Concl. 11. allato ubi dicit: *Ignorantia & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum.* Nonnè qui voluntatem impeditam asserit, expeditam negat? Sic autem à nobis fuisse intellectam convincitur ex judicio illi à nobis subjuncto; Ita enim habet: *Negat hæc Thesis ad libertatem in hoc statu requiri bicornem illam ad utrumlibet indifferentiam nempe, ut loquitur expeditam, qua animus æquè in bonum ac in malum se flectere possit, quasi semper habeat receptam & suo nutui obsecundantem gratiam, ac meritò id negat, cùm in ignorante Deum aperte illa desit.*

Enimverò ille ipse sensus est, quo bifrontem indifferentiam (ut refert Gonet. Vide Concl. 11.) Augustinus acerrimè impugnauit. Quod ut clucescat magis, nota secundùm Augustinum in statu naturæ integræ semper adfuisse gratiam, & ita nutui voluntatis obsecundasse, ut Adamus non indiguerit oratione ad observandum ullum præceptum. Ita sentit HENRICUS NORIS in vindiciis Augustinianis cap. 3. §. 6. & probat ex illo loco Augustini

gustini lib. 6. contra Jul. ubi postquam retulerat illud Apostoli: *Oramus autem Dominum, nè quid faciatis mali*, addit: *quod si ita esset in potestate, quomodo fuit ante peccatum, priusquam esset humana natura vitiata, non utique posceretur orando, sed agendo potiùs teneretur.* In statu autem naturæ lapsæ, ut prosequitur Noris, *illud adjutorium pro omnibus & singulis momentis proximè sufficiens non semper præstò est hominibus*; *ideò scribit ibid. Augustinus: in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare quàm viribus.* Hinc quia in hoc statu debilitatæ vires, quia gratia magnis precibus imploranda, quia illam bene agendi facilitatem amisimus & ingentem ad peccandum pronitatem contraximus, quia denique certabat Augustinus adversùs Pelagianos, qui vitiatam esse naturam negabant, & libertatem prorsùs illæsam tuebantur, ita bifrontem illam, nempe à Pelagianis assertam, indifferentiam impugnat, ut primâ specie videri posse libero arbitrio iniquior. Sed absit ut vel tantillùm iniquus credatur; cùm dicat S. Hormisdas Papa in Epist. ad Possessorem, *de arbitrio tamen libero & Gratiâ Dei quid Romana, hoc est Catholica sequatur & servet Ecclesia, licet in variis libris Beati Augustini, & maximè ad Prosperum & Hilarium abunde possit cognosci &c.*

Quæ igitur Augustini mens, dum eam definitionem peccati, quâ illud definierat in lib. de 2 animabus esse *voluntatem retinendi vel amittendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere*, dicit illam objicienti Juliano lib. 1. op. imp. cap. 48. esse definitionem peccati illius quod tantummodò peccatum est, non quod etiam pœna peccati? quæ illa libertas, quam admittit in primo peccato, & non in reliquis? Est utique libertas integra, illæsa, vegeta, quam magnam vocat & amissam dicit lib. de Corrept. & Grat. cap. 12. *Posteaquam*, inquit, *est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas.* Nec alio sensu Augustini discipulus S. Prosper in Carmine de ingratis ita canit:

Arbitrium per devia lapsum claudicat.

Quia nimirum, quod & voluisse credidimus Authorem Theseos inscriptæ ad mentem S. Augustini, licet remanserit in statu naturæ lapsæ indifferentia voluntatis aliquo sensu expedita ad utrumlibet, non tamen illo qui est Augustinianus & satis obvius, atque in judicio nostro explicatus, quasi jam voluntas semper habeat nutui suo obsecundantem gratiam, quemadmodùm (ut sentire Augustinus videtur) habuit in statu naturæ integræ.

Sed an potuit Author Theseos rejicere definitionem libertatis: *potentia quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere & non agere?* Ac nolle ut illam quis tueretur confugiendo ad sensum compositum & divisum, item ad indifferentiam judicii? Quidni? Cum teste Lemos illam *non ex Augustino aut sanctis Patribus, non ex Magistro Sentent. S. Thoma aut Doctore aliquo ex gravioribus, sed ex Almaino in suis Moralibus didicerint Recentiores.* Deinde indifferentiæ Molinianæ favere videtur. Denique quia indifferentiam æquilibrem, de qua Thesim loqui ostendimus, salvare non possis, neque si

confugias

confugias ad indifferentiam judicii, quam alióqui dari admittimus, neque si confugias ad sensum compositum & divisum; quamvis definitionem recipi posse non diffiteamur, ac posse aptari libertati indifferentiæ qualis nunc reperitur, quæ æquilibris non est, benignèque explicari per sensum divisum, ut doctrinæ Augustinianæ & Thomisticæ non adversetur.

§. VII.

De Conclusione septimâ Theseos.

QUæ sentimus de libertate à necessitate habes Conclus. 7. & 8. inter nostras Undecim. Undè etiam perspicitur æquitas approbationis nostræ & judicii huic conclusioni subjuncti. Siquidem nemo Catholicorum negat, quin libertas ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ requisita, quæ est libertas à necessitate, consistat cum quibusdam necessitatibus sic dictis, tametsi minùs propriè, quales sunt necessitas infallibilitatis, consequentiæ, ex hypothesi &c.

At inquies: quorsùm illud *&c.* etiam in judicio vestro? (nàm & hoc nobis objectum est) censetis igitur alias adhuc necessitatis species non pugnare cum libertate ad merendum & demerendum requisita? Censemus sanè, & ità, ut sciamus iterùm Catholicorum neminem nobis repugnaturum. Necessitatem peccandi vocat Augustinus (quæ moralis est, non physica) illam difficultatem abstinendi à peccato quam peccandi consuetudo invehit: ita enim loquitur l. 8. conf. cap. 5. *dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dùm consuetudini non resistitur facta est necessitas.* Eritne qui hanc contendat pugnare cum libertate ad demerendum? Deindè admittenda est quædam necessitas peccandi vagè & indeterminatè, quià licet homo in statu naturæ lapsæ possit singula divisivè vitare peccata, non tamen omnia collectivè, nimirùm venialia; de quâ necessitate exponit Gonetus illud Augustini contra Jul. *multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel non intelligis illius peccati esse pœnam quod nullâ necessitate commissum est.* Confirmatque expositionem istam Gonetus ex S. Thoma quæst. 25. de Veritate art. 12. ubi exponens illud Psalmi: *de necessitatibus meis erue me*, ait: *peccata dicuntur necessaria in quantum non possunt vitari omnia, quamvis possint vitari singula.* Neque istam arbitror necessitatem quisquam dicet libertati ad demerendum esse adversam.

CAPUT QUINTUM

§. I.

Sintnè Professores culpandi, quod Thesim æquivocam explicarint & approbarint?

THESIM non tantùm alicui malo sensui esse obnoxiam, sed & aliquô bonô explicari potuisse, haud equidem, ut existimo, inficiabuntur, qui explicationes nostras & caput superius legerint. Neque id obscurum est ex Conclusionibus nostris Undecim, quas Eruditissimi Theologi approbarunt. Siquidem tùm in ipsis, tùm in responsis, quæ subnectuntur ad quæsita vel objecta perspicitur sensus ille orthodoxus, in quo Thesim explicavimus.

At, inquies, pessimam Thesim ac detestandam non semel vocat D. ARNALDUS: igitur æquivoca non est, sed talis, quæ malo tantùm sensu intelligi possit. Miror certè ab ullo qui vel levi oculo cum aliqua saltèm tenui mentis attentione *querimoniam* D. ARNALDI legerit, id concludi potuisse, cùm sit evidens D. ARNALDUM pessimam ac detestandam Thesim vel ideò præcipuè vocare, quià æquivoca est, & pessimo dolo ad fallendum fabricata. Nonnè ipse æquivocam sæpiùs dicit, nostrasque explicationes orthodoxas?

Imò verò Thesim, quòd æquivoca esset, jure meritò à nobis explicatam esse & approbatam confirmat ex eo, quòd propositiones æquivocæ quamvis durius sonent, dùm à viris Catholicis quorum doctrina suspecta non habetur, putantur essertæ, benignè exponi soleant ac debeant, idque variis exemplis comprobat. Hæc prima ratio Thesim explicandi ac probandi.

Accedebat alia, quam Ex D. *Hennebel* Doctor Lovaniensis non ex suâ tantùm, sed etiam ex præcipuorum è Collegis suis sententiâ exponit, nimirùm ne propositiones æquivocæ Censurâ æquivocâ proscriberentur; *malumque malo accederet, dùm Censura Canonica quæ controversiarum deberet esse finis, fit earumdem copiosiùs Seminarium*, ideo censet cum Collegis suis nos *rem præstitisse Professoribus orthodoxis dignam*; dùm ita sollicitè providebamus, *nè quid damni sana doctrina pateretur*. Hæc ille in litteris ad me datis, editis ad calcem *Epistolæ ad quemdam Baccalaureum*, quas nec pigebit hic etiàm integras subjicere.

Admod. R^de ac Erud.^me Domine.

TAndem apertum est quod latebat, erupit virus, detecta est fraus, didicimusque Thesim nullam Mechliniæ editam, sed ab impostore confictam esse. Sem-

per

per mihi suspecta fuit Thesis illa, sed maximè postquàm mihi scripsistis jactari Duaci pluribus illam Lovanii Mechliniæque probari, cùm tamen nulla illius bis in partibus mentio fieret. Ægrè admodùm ulli Discipulorum S. Augustini audebam eam adscribere, in quâ tot elati præcipitisque animi specimina notabam, adeò ut indiscreti cujusdam zeli fœtus magis ostentando ingenio, quam asserendæ veritati in lucem protrusus videretur.

Desideriis vestris obsecutus sum, Collegarum nostrorum præcipuis, quibus ante Theses cum subjuncto judicio vestro prælegeram, exhibui posteriores elucidationes vestras, qui diversum planè judicium de Thesibus ipsis vestrâque censurâ tulerunt. Improbabant olim in Thesibus supercilium illud, quo liberius quàm privatum decet, fratrum suorum fidei dominari, inter Discipulos SS. Aug. & Thomæ dissidia serere, receptisque apud plerosque phrasibus refragari videbatur Thesis Auctor, sed non ideò minùs vestram in illis omnibus temperandis explicandisque modestiam commendabant. In eodem quoque nunc judicio persistunt, hoc præcipuè spectantes necessarium planè fuisse propositionum oblatarum sensus Catholicos proferre, cum de iis censurandis cogitabatur. Ita sanè compositi omnes sumus, ut si de iis primùm edendis exquireretur judicium nostrum, censeremus eas esse supprimendas; at si de Thesium jam vulgatarum prohibitione ageretur, FACEREMUS QUOD VOS FECISTIS; *alia enim primæ editionis, alia est causa, cùm de prohibitione agitur Thesis jam editæ; cùm enim prima Thesis editio impeditur, malum omne in origine suâ præfocatur, securisque ponitur ponitur ad radicem; at cùm Thesis ejusmodi jam vulgata est, quæ æquivocationibus plena, sensibus contrariis est obnoxia, in hoc collimant fideles Ecclesiæ filii, nè propositiones æquivocæ censuris æquivocis proscribantur, malumque malo accedat, dùm Censura Canonica, quæ controversiarum deberet esse finis, fit earumdem copiosiùs Seminarium. Ideò* CENSUIMUS VOS REM PRÆSTITISSE PROFESSORIBUS ORTHODOXIS DIGNAM, *dùm audientes septem illis assertionibus imminere Censuram Archiepiscopi Mechliniensis, sensus earum sanos aperuistis, sic nempè sollicitè providentes, nè quid damni sana doctrina pateretur, dùm Censuræ auctores sic errores configerent, censuramque suam temperarent, ut vel sensum à vobis prolatum exciperent, vel certè si magis peccatum esse censerent in modo loquendi, quam in re ipsâ, castigatâ solâ loquendi libertate, persistaret illæsa veritas, loquacitatisque suæ justas pœnas solus assertor præceps persolveret.*

Doctrinam vestram tam in singularum propositionum judicio, quàm in elucidatione posteriori sanam, censuimus & orthodoxam. Optamus ut brevi lucem videat, testisque sit orbis universus tam benè fundatam esse fidem vestram, ut nè per insidias quidem eam concutere potuerit versipellis impostor. Datum Lovanii 26. Julii 1692.

Admodum Rev. ac Erud. Domine
E. D. V.

Humillimus Devotissimusque Famulus

HENNEBEL,
Sacræ Theologiæ Doctor
in Academiâ Lovaniensi.

Verum quid de approbatione nuda, qualem exhibet Author libelli ? R. 1. approbationem illam nudam non fuisse, sed iis fuisse datam circumstantiis, de quibus supra, ut referretur ad explicationes præmissas, & una videri debeat cum priore prout etiam censet considerandam D. ARNALDUS.

Deinde nulla prorsùs dubitandi ratio legitima afferri potest, quin eodem sensu approbaremus Thesim, quo antea à nobis explicata fuerat, Etenim non ideo altera approbatio petebatur, quasi sensus quo Thesim explicaveramus displicuisset, sed quod judices molestè ferrent se quodammodo doceri, tamquam si non essent satis perspicaces ad pervidendum omnem sensum quo Thesis poterat intelligi, ut ostensum est supra cap. 3. §. 2. nam explicationes nostras sibi probari significabat Pseudo-Arnaldus ita scribens ad me de illis: *elles sont nettes, judicieuses, elles debroüillent bien ce qu'il y a d'enveloppé dans la These.*

Si quis verò imprudentiæ saltem ac nimiæ simplicitatis nos coarguat, qui passi simus nobis illudi, non admodum pugnabo, tametsi non desunt, quæ istam labem si non abstergere, saltem imminuere possint, ut quod ad nos demùm litteræ scriptæ sunt, quando D. *de Ligny*, quem sibi priùs tentator decipiendum credidit, pluribus jam acceptis litteris nihil ambigebat dari illas à vero D. ARNALDO.

Si cui lubet deceptis insultare, parùm profectò cogitat, quid sibi ab impostore tam callido accidere possit. Lepidum est quod memorat *Stapletonus* in vita Thomæ Mori cap. 13. de senatore, cujus crumena in pleno consessu resecta est, instigante Cancellario *Moro*. Senator ille nimiæ simplicitatis vehementiùs arguerat eos qui sibi pecuniam sublatam conquerebantur, cùm potiùs in crumenisecas, qui judicandi aderant, exardescere debuisset.

§. II.

Possintnè Professores, qui Thesim approbarùnt, meritò haberi saltem suspecti, tanquam qui doctrinam ab Ecclesia proscriptam in animo teneant ?

Cùm Thesim non nisi in sensu orthodoxo explicatam approbaverimus, quis non videt fore iniquissimam hanc & maximè temerariam suspicionem, quæ nullo niteretur fundamento? Quin & temeraria foret, tametsi nostra nos fefellisset opinio, qua credebamus eam Thesim sensum nostrum orthodoxum non respuere. *Quand ils se seroient trompez*, inquit D. ARNALDUS, *en croyant que des propositions malignement fabriquées pouvoient avoir des bons sens, tels que sont ceux qu'ils leur avoient donnez dans leur premiere signature, ce seroit une injustice manifeste de leur imputer d'avoir des meschants sentimens touchant la grace. Cela marqueroit seulement qu'ils n'auroient pas eu assez d'addresse pour developper tous les detours artificieux du fourbe qui les avoit forgez.*

An-

An fuerunt suspecti Episcopi, qui in Concilio Ariminensi decepti Arianorum fraudibus approbârunt Filium Dei non esse creaturam, ut sunt cætera creata, arbitrati nihil aliud per hoc significari, quàm Filium Dei non esse creaturam, & omnibus creaturis dignitate antecellere? Cûm tamen in ea propositione, eò quòd diceretur Christus non esse creatura, ut sunt cæteræ creaturæ, manifestè satis Christus intra numerum creaturarum concluderetur. An, inquam, suspecti fuerunt, cùm deceptos se fuisse conquesti fidem orthodoxam palàm profitebantur?

Quo igitur jure de nobis malè suspicari quispiam possit, qui non propositiones apertè hæreticas, ut erant illæ, sed Thesim æquivocam quidem at non nisi sensu orthodoxo explicatam probavimus, alio sensu intellectam palàm rejicimus ac damnamus, & insuper tam apertè doctrinam orthodoxam in nostris Undecim Conclusionibus profitemur.

Denique *Patris Fulgentii Carmelitæ Calceati apud suos Professoris* hæc propositio censurâ perstricta est ab Illustriss. Episcopo Atrebatensi: *perfecta deliberatio ex malitiæ consideratione requiritur ad mortale.* Quis ausit suspicari dictum Patrem tenere in animo perniciosam illam, cujus accusatus fuit doctrinam, posteaquam sensum suum clarè aperuit? Et tamen nos inter & illum quantùm discrimen!

1. Thesim in qua ista erat propositio, ille ut suam prælo subjicit, ut suam vulgat ac tuetur: nos Thesim probamus alterius. Quis autem nesciat approbari posse alterius expressiones, quamvis ipse Approbator his non uteretur? Ut certè constat nos iis non uti, quas Thesis habet duriores, sed aliis quas in scholis usurpamus, & habes in Conclusionibus nostris Undecim.

2. Ille propositionem, in Thesi suâ non explicatam, explicavit demùm accusatus: nos explicationem approbationi præmisimus.

3. Illius propositio judice Illustriss. Episcopo Atrebatensi bonum nullum sensum habere poterat, nisi terminorum significationes immutarentur: Thesis à nobis approbata æquivoca est, quæ etiam sensu orthodoxò possit intelligi.

Hæc sunt verba Censuræ: *La troisiéme*, perfecta deliberatio ex malitiæ consideratione requiritur ad mortale: *Il n'y a pas de peché mortel sans une deliberation parfaitte produite par la consideration de la malice (de cette action) étant tres mauvaise & absolument insoutenable dans son sens naturel, & dans les termes, où elle est conceuë, ou comme parlent les Theologiens* in proprio verborum sensu, *& n'en pouvant avoir un bon, qu'en changeant la notion ordinaire de ces termes & en les prenant dans un sens qui y soit contraire, nous la condamnons comme fausse, scandaleuse & pernicieuse au salut des ames, & propre a fournir aux plus grands pecheurs des excuses pour leurs pechés, & nous defendons consequemment à toutes personnes dans notre Diocese de la mettre dans des Theses, ou de la soutenir.* Atque ne Professori quandam injuriam irroget, si de ejus

ejus ſenſu nihil addat, ita proſequitur: *mais nous devons en même temps ce témoignage à la verité que nous avons trouvé dans le Profeſſeur la même horreur que nous pour cette propoſition, lors que nous luy en avons fait voir les affreuſes ſuites; que nous n'avons eu nulle ſollicitation à lui faire pour l'engager à y donner une explication qui en ôtât tout le venin.*

Eandem nobis juſtitiam ab omnibus qui de approbatione noſtrâ judicium ferent, exhiberi petimus, ut ſi quis fortè quaſdam Theſeos propoſitiones damnandas cenſeat, primùm ſenſum, quo damnat, dignetur aperire, deinde mentionem adjicere ne gravetur de ſenſu orthodoxo, quô Theſim explicavimus, de doctrina evidenter orthodoxâ, quam in Concluſionibus noſtris Undecim complexi ſumus. Id certè planè confidimus nihil à quoquam damnatum iri, quod non à nobis damnetur, imò quod non antea à nobis damnatum fuerit. Equidem niſi vidiſſemus Theſim alicui malo ſenſui eſſe obnoxiam, haud explicandam credidiſſemus, ut notum fieret, quô ſenſu à nobis approbaretur.

§. II.

Sitnè Approbatio Theſi à Profeſſoribus data, ab ipſis retractanda.

SI Retractationis nomine intelligas eam, quâ retractemus ſenſum, in quo Theſim explicavimus, ſive doctrinam illo ſenſu contentam, procul dubio Approbatio noſtra à nobis ſic retractari nec debet, nec poteſt, nec ſic retractandam ſentit D. ARNALDUS, qui eſſe orthodoxa cenſet judicia noſtra & ſenſum Catholicum in quo Theſim æquivocam accepimus.

At eſt aliud genus retractationis poſt explicandum, quo approbationem noſtram libenter retractamus ipſis D. ARNALDI verbis:

Qu'y que nous ne connuſſions Mr. ARNAULD *que de reputation, & que nous n'euſſions jamais eu aucun commerce avec luy, ſçachant les ſervices qu'il a rendus à l'Egliſe en la defendant contre les Heretiques, & les temoignages avantageux qu'il a reçeu d'un grand nombre d'Evêques, & du Pape* INNOCENT XI. *de ſainte memoire par Monſeigneur le Cardinal* CIBO; *n'avions-nous pas tout droit de le regarder comme un Docteur trés-Catholique; Ayant donc crû qu'il avoit eu la bonté de prevenir l'un de nous par des lettres trés obligeantes, & ne nous doutant pas le moins du monde que ce fut un fourbe qui avoit pris ſon nom pour nous tromper, nous n'avions garde de le ſoupçonner du moindre menſonge en ce qu'il nous diſoit dans ces lettres. Ainſi nous ayant envoyé une Theſe composée de 7. propoſitions qu'il nous aſſûroit avoir été ſoûtenüe à Malines, & avoir été approuvée par des Evêques de France, par des Docteurs de Sorbonne & de Louvain, & par les plus habiles gens de l'Europe, peut-on trouver étrange que croïant tout cela, & la fourberie qu'on nous avoit faite nous donnant tout lieu de le croire, nous nous ſoïons conduits de la maniere que nous avons fait? Ne ſerions nous pas*

excusables quand nous l'aurions approuvée absolument par une humble deference à tant d'habiles Theologiens, Evêques, & Docteurs qu'on nous assûroit l'avoir approuvée avec éloge? Cependant nous ne l'avons pas fait: ce n'a été qu'en mettant sous châque proposition des explications & des éclaircissemens qui en determinoient les equivoques à des sens Catholiques. Et la signature que ce fourbe a depuis extorqué de nous par des plus pressantes sollicitations, a toujours été par rapport à ces éclaircissemens. Presentement le voile est levé. Nous sçavons certainement qu'on nous a trompé; que M. Arnauld n'a aucune part a ces propositions, qu'elles n'avoient été soûtenuës par personne, ni approuvées par qui que ce soit, mais que c'est l'ouvrage d'un faussaire qui les a malicieusement fabriquées pour nous surprendre. Que peut-on donc souhaiter de nous, que ce que nous faisons tres-volontiers, qui est de retracter nôtre signature, & de detester cette These, qui ne nous avoit été presentée que par un organe du Demon.

Si quæris, quod sit illud genus retractationis? R. Exemplum præbuit Augustinus deceptus fraude Ruffini. Historiam refert Baronius ad annum 410. Ruffinus Sixti Pithagorici Commentarium à se translatum, cui plura è Scripturis divinis addiderat, vulgavit sub titulo Sixti Romani Pontificis & Martyris. Usus est eo Pelagius, *ex eoque præpotentes*, ut Baronius loquitur, *elicuit sententias, quibus quasi Rom. Pontificis atque Martyris essent, reluctari nefarium duceretur.* Ex quibus aliqua à Pelagio citata Augustinus tunc ignorans Ruffini strophan in rectum sensum interpretando inflectere conatus est lib. de Nat. & Grat. c. 64. sed rem demùm edoctus aperiens Imposturam, quod dixerat, retractavit l. 2. retractationum cap. 42.

Certum est nihil hic doctrinæ suæ, nihil sensus orthodoxi in quo verba Sixti explicaverat, retractasse Augustinum: Retractavit tamen explicationem, dùm Imposturam aperuit, veluti significans se jam librum respuere, neque velle ampliùs explicationem suam ejus sententiis aptari, per se licere, ut sententiæ libri illius acciperentur in sensu non orthodoxo ac rejicerentur.

De Thesi nos similiter. Satis nobis est orthodoxo sensu fuisse à nobis explicatam dum fraus latebat: nunc per nos licet dummodò nè quis sensum nostrum seu doctrinam sensus nostri carpat, ut quivis Thesim alio accipiat sensu ac rejiciat; neque aptentur jam ampliùs explicationes nostræ illis quæ duriora videntur in Thesi, quam nunc liquet à teterrimo Impostore esse confictam, quam nunc respuimus & damnamus in sensu quem præcipuè intendit Impostor, qui fuit non bonus ille, quo posset carpere, sed pessimus iste, de quo posset accusare.

EPILOGUS.

IAm sentis, Impostor, iis latebris quibus absconsus es, dolos ac calumnias tuas occuli non potuisse. Patet modò nullam à nobis adversùs Ecclesiam, sed à te adversùs nos sævam esse commotam tempestatem. Tuum est sedare.

re. Redde qui potes ac debes, innocentiæ nostræ testimonium, quæ tibi adeò perspecta est, ut tuum ipsius judicium non defugiam, si modò velis illud sincerè expromere. Sed reddes vel invitus. Scribis contra nos sanè quàm disertè; sed idem pro nobis eloquentiùs silere cogeris. Te igitur ipsum in causæ meæ patrouum adscisco.

Quis te magis idoneus ad refellendam de nefaria conspiratione calumniam? Dum non modò de nobis nihil nefarium, sed nè hoc quidem probas conspirasse nos ad ullam rem cum Ex. D. Gilberto, vel cum aliis quos vocas Neophytos aut Catechumenos, dum nihil est, quo probare possis, tuo nos silentio cogeris absolvere.

Quis meliùs calumniam de formulâ ut vocas 12. articulorum nobis affictâ refellat? Postquam nova mysteria, istam nimirum formulam nobis tribuisti, quid affers, ut hoc tuum orbi somnium persuadeas? Nihil quod quidem refutari mereatur, neque quidquam afferre potes, adeòque dum silere cogeris, pro nobis adversum te tuum eloquentissimè perorat silentium.

Sed cum nos tanquam parum sinceros notas, ô lepidum caput! ô te egregium hujus criminis Denuntiatorem! Tu scilicet admodum sincerus, qui es tot imposturarum faber: Tu sinceritatis eximium quoddam exemplar (nam tragœdiæ idem esse crederis authot & actor) qui tota mendaciorum plaustra litteris infercisti, ut nos falleres sinceritati tuæ nimiùm confisos, qui illam ex nostra metiebamur. Certè non modò tu aptus non es, qui Lectorum animis adversùs sinceritatem nostram aliquid suspicionis ingeneres: sed nec ea apta esse quæ protulisti, judicabit quisquis animo Christianâ charitate aut saltem æquitate imbuto responsionem nostram legerit.

Ad patronum meum revertor silentim tuum. Quis meliùs præcipuam contra nos accusationem de Thesi à nobis approbata refellat, quàm tu silendo? Recole quantum temporis fluxerit ab illo, quo prodiit in lucem prima D. Arnaldi *querimonia ad Illustriss. Episc. Atrebatensem.* Ibi queritur, quòd explicationes nostras tacueris, constat aliquas receptas; si negares, non deest, quo negantem convincamus; quid tu intereà? Siles, obmutescis. Forent à nobis immutatæ, an non, exhibendo, fraudem aperires? An non omnibus palàm faceres? An non contra nos istius authores fraudis omnium odia concitares? Sic habemus silentio tuo confitentem te datas à nobis Theseos explicationes sanas.

Abit ergo in fumos evanida omnis accusationis tuæ machina etiam de secundâ Approbatione Theseos data in circumstantiis suprà declaratis, nisi ostenderis, quod sanè ostendere nunquam possis, alio sensu Thesim tunc nos intellexisse, quam qui antea explicatus fuerat.

Vide igitur quid nobis debeas, quorum famam tàm iniquis criminationibus lacerasti, quid Almæ Universitati, ac Sacræ Theologiæ Facultati Duacenæ, cujus honorem graviter læsisti, quid innumeris Libelli famosi lectoribus, quibus maledicentiæ tuæ venenum afflasti, aut certè malè ac temerè

de

de nobis judicandi vel suspicandi ansam præbuisti, Denique vide & considera quid debeas tibi-ipsi, qui te tot obstrinxisti criminibus: recogita in amaritudine animæ tuæ, quam gravis ea sit calumnia, quâ nos lacessisti, Ignoscat tibi Deus, nescisti quid faceres.

Tibi metuo ab illo qui perdit omnes loquentes mendacium. Oro illum animitùs ne te male perdat, sed per inspiratam tibi pœnitentiam salutariter perdat mendacem ac seruet hominem. Ita olim per pœnitentiam salutariter perdita & eversa, NINIVE, quæ ut scribit Augustinus *Stantibus mœnibus ac domibus eversa est in perditis moribus.* Ex eâdem charitate precor, ut hæc scriptio tibi ad famam nostram resarciendam sit adjumento, quemadmodum futuram spero apud omnes, quibus æquitas cordi est.

F I N I S.

APPROBATIONES DOCTORUM.

Approbatio Eximii Domini GUMMARI HUYGENS S. Theologiæ Doctoris ac Professoris in Academia Lovaniensi, & Præsidis Collegii ADRIANI VI. Pontificis.

SCriptum cui titulus: *Justificatio duorum S Theologiæ Professorum Universitatis Duacenæ* utiliter ostendit toti mundo inauditum hactenùs calumniandi modum: & calumnias tres, quarum prima eaque atrocissima est quod dicti Professores conspiraverint ut veram Ecclesiam, quam CHRISTUS in Sponsam sibi delegit, destruerent: secunda in eo consistit, quòd Theses quædam æquivocæ à dictis Professoribus prævriis certis explicationibus approbatæ contra fidem datam exhibeantur sine istis explicationibus: Tertia est quod iidem Professores suspectæ ac damnatæ doctrinæ potissimùm de Gratia & Libero Arbitrio rei agantur: quas calumnias cùm solidissimè refellat hæc Justificatio, dignam censeo ut prælo publicetur. Lovanii 15. Novembris 1691.

G. HUYGENS
S. Theol. Doctor ac Professor.

Appro-

Approbatio Eximii Domini JOANNIS LOVINUS S. Theol. Doctoris ac Professoris in Academia Lovaniensi, & Collegii minoris Theologorum Præsidis.

JUSTIFICATIONEM duorum S. Theol. Professorum Universitatis Duacenæ contra atroces calumnias libelli famosi, cui titulus: *Lettre à un Docteur de Douay &c.* per Eruditiss. D. RIVETTE &c. cum attentione legi & maturè consideravi; eamque reperi dilucidam (& ut iisdem verbis loquar Impostoris famosi relatis alicubi in Justificatione, verùm non eodem ut ipse animo, videlicet iniquo & doloso) nitidam, judiciosam, quæ implicata erant benè explicantem, Addam & quidem mirificè benè ac nitidè parique felicitate ac nitore abundè refutat rationes, quas Calumniator adfert, quibus atrocem illam & intolerabilem calumniam stabiliat de molimine, seu consilio ædificandi novam Ecclesiam. Quàm vanæ, futiles ac infundatæ sint rationes quibus nititur, præclarè demonstrat hæc Justificatio: iisque à me visis mox censui, prout & nunc censeo, Calumniatorem magis compassione dignum, quàm indignatione, aut operosiori refutatione; fabulam enim mihi visus est annuntiare Burgi-fontanæ planè similem eruditis notam & explosam. Faxit Deus ut ejusmodi Calumniatores redeant ad cor. Præfata JUSTIFICATIO sit pro salutari collyrio, quo iste noster liniat oculos suos, ut eos aperiat, & clarè videat & agnoscat injuriam à se Professoribus istis duobus irrogatam. Hoc precor, hoc voveo Lovanii Die 15. Novembris 1691.

JOANNES LOVINUS
S. Theol. Doctor ac Professor.

Approbatio Eximii Domini HENRICI DE CHARNEUX S. Theol. Doct. & Profess. Regii in Academiâ Lovaniensi, ac Præsidis ibidem Collegii Leodiensis.

HÆc *Justificatio duorum S. Theol. Professorum Universitatis Duacenæ contra atroces Calumnias, &c. per Eruditiss. D. PHILIPPUM RIVETTE* composita doctrinam continet orthodoxam & sanam, clarè & solidè digestam, serpentinâ prudentiâ & columbinâ simplicitate decoram, cui apud quemque cordatum, imò & omnem passim, quem malitia non excæcavit magna commendatio accedere debet ex latebris inauditisque dolis, quibus eam adversarii concutiunt. Vera enim causæ momenta quæ hic stabiliuntur

tur & persuadentur fortiter, pauciores eruditos, seu talium dijudicandorum capaces hactenùs forsan nullo partium studio laborantes movebunt: sed versutia, malæ artes, & virulanta jacula, quibus à negotio perambulante in tenebris impetitur: sicut execrationem merentur omnis sinceri pectoris, sic doctrinæ quæ taliter impugnatur, facilè æstimationem conciliabunt. In cujus judicii mei fidem signavi hâc 14. Novemb. 1691.

HENRICUS DE CHARNEUX.

S. Theol. Doctor ac Professor Regius Lovan.

Approbatio Eximii Domini JOANNIS SULLIVANE S. Theol. Doctoris ac Professoris Regii in Academiâ Lovaniensi & Collegii Cranendoncani Præsidis.

SCriptum cui titulus, *Justificatio duorum S. Theol. Professorum Universitatis Duacenæ contra atroces calumnias*, &c. *per Eruditiss. D. PHILIPPUM RIVETTE*, &c. Perlegi, in quo Author eruditè ac dilucidè suam de medicinali Christi Gratiâ & Libero Arbitrio doctrinam sanam & orthodoxam esse ostendit, ac improbissimas adversariorum suorum insidias detegit, dissipatque. Ad facta quod attinet, cuivis lectori non nimiùm præoccupato scriptum hoc facilè imprimit idæam candidæ indolis authoris aliundè mihi notæ, ac iniquissimarum, quas patitur, persecutionum. Adeò ut mirum sit, si eo lecto, vel ipse, quam oppugnat, Epistolæ fabricator, & pseudo-Arnaldus, si tamen hi una eademque persona non sint, in animo suo non sint agnituri hujus Scripti Authorem de Gratia & lib. Arbitrio Catholicè sentire, quod ex anterioribus ejus scriptis agnoscere deberent, nisi tamen gratiam Molinisticè sufficientem Fidei articulis annumerare præsumant. Dent igitur gloriam Deo, famamque quam tam intemperanter dilacerârunt, resarciant considerantes non remitti peccatum donec restituatur ablatum. Intereà meritò Scriptum hoc in veritatis defensionem, & innocentium patrocinium publicabitur. Ita censeo Lovanii hâc 15. Novembris 1691.

JO. SULLIVANNE S. Theol. Doctor & Prof. Reg.

Approbatio Eximii Domini JOANNIS LIBERTI HENNEBEL S. Theologiæ Doctoris Lovaniensis & Collegii Vigliani Præsidis.

ORthodoxa & pacifica est hæc Justificatio fortiter duos S. Theologiæ Professores in Universitate Duacensi ab atrocibus Calumniis vindicans, feliciterque elidens conatus omnes versipellis Impostoris, qui Professores illos